



**Illustrium Germaniæ virorum Historiæ : aliquot singulares, ex  
optimis, probatissimisq[ue] authoribus erutæ atq[ue]  
congestæ,**

<https://hdl.handle.net/1874/421580>

## ILLVSTRIVM

## GERMANIÆ VIRORVM

Historiæ aliquot singulares, ex optimis,  
probatissimisq; authoribus erutæ atq;

congestæ, per M. Hieronymum

Zieglerum Rotenburgen-

sem publicum Profes-

forem Ingolstadij.

ANNO DOMINI M. D. LXII.

CVM PRIVILEGIO CÆSAREO

excusum Ingolstadij per Alexandrum &

Samuelem Vucssenhornios, fra-

tres Germanos,





ILLVSTRIBVS,

ET GENEROSIS D. D. D.

FERDINANDO, ERNESTO, ET

ERNFRIDO, Comitibus in Ortenburg.

Liberis Baronibus in Freienstain, & Carl

spach, Dominis in Hericourt, Lill,

Schattellot, & Clemont &c. Do

minis suis clementissimis.

S. P. D.



QVAM PROVI-

di, & rerum suarum

fatagentes fuerint pri-

sci homines, ILLV-

STRES, ET GE-

NEROSI VIRI, ET COMI-

TES, multis exemplis constat. Nam,

ut Iosephus refert, tempore ante diluuium

homines scientes, quod aut igne, aut aquis

periturus esset mundus, in duabus colum-

\* ij nis



nis, ex lapide, & ligno factis, studia sua, cæ-  
remónias, et res gestas conscripserunt: ne de-  
lerentur in igne lapidea, aut in aquis lignea  
monumenta. Sapienter quidem isthæc stu-  
dia instituerunt, quoniam lapideam illam  
columnam, diluuium illud magnum eua-  
fisse, atq; in Syria diu permansisse, refe-  
runt. Deniq; & Cham filius Noë, supersti-  
tionibus plenus, omnes ritus, ne diluui-  
o perirent, scripsit in æreis laminis, & in du-  
rissimis insculpsit lapidibus, inueniensq; ea  
omnia post aquas incorrupta, posteris  
monstrauit. Deus ipse Opt. Max. non se-  
mel præteritorum memoriam conseruare  
in ueteri Testamento, præcepit. Memen-  
to, inquit, dierum antiquorum, cogita ge-  
nerationes singulas. Interroga Patrem tu-  
um, & annuntiabit tibi: maiores tuos, &  
dicent tibi. Item, scribe uisum, & explica  
eum super tabulas. Hæc, & huiusmodi dili-  
gens

gens Lector sapius inueniet, modo sacras  
litteras legat. Post diluuium, cum nondum  
scripturæ usus innotuisset, Tuisco Gygas  
res gestas canere docuit, ne eas uulgi ne-  
gligentia obliteraret. Nam omnia per æ-  
tatem labuntur, memoria fit quoq; debili-  
or: iuuenescunt saltem in libris historia-  
rum, & renascuntur quodammodo Herö-  
um fortiter facta, & grauitè dicta. Quot  
abstulit fati necessitas uiros Rebus pub. uti-  
les: quorum gratia omnis periisset, nisi il-  
lorum memoriam retinerent, Doctorum  
uirorum elucubrationes: quas cum legi-  
mus, mortuos dudum, noscoram cernere  
putamus. Multi etiam multa præclarè ges-  
sere, ut haberent apud posteros fortitudi-  
nis nomen, & laudem, maxime autem be-  
neficio historicorum. Hac itaq; unica spe,  
& bona fiducia nutriti sunt. Nihil in hoc  
statu mortalium usquàm effæt de quo rectè



gloriarī possemus, si nobis rerum gesta-  
rum memoria, aut fides historica sublata  
esset. Homo enim (ut Aristoteles scripsit)  
nihil aliud est, q̄ imbecillitatis exemplum,  
fortunæ lusus, inuidiæ, & calamitatis tru-  
tina, reliquum pituita, & bilis. Hæc, sicuti  
omnia extinguit, et facta, cum hominibus  
in obliuionem ducunt, ita sola historiarum  
cognitio, nullam ætatem cæcam esse finit,  
immo ab inferis uindicat, et noua facit, quæ  
uetera, et nullius momenti esse ducebantur.  
Quapropter uelim omnes uiros Principes  
lectioni historiarū dies noctesq; incumbe-  
re, ut se pariter agnoscerent, suosq; regere  
discerent, quod utrumq; sola historiado-  
cet, & loquitur, quæ nemo (sicuti Deme-  
trius Phalareus ad Ptolomæum dixit) Ma-  
gnatibus coram aut dicere, aut indicare au-  
det. Ego itaq; in hoc studio (exceptis sacris  
literis) summum bonum, solidas uolupta-  
tes,



tes, & uitæ humanæ delitias constituo : ta-  
ceam quod corpus morbis obnoxium, hi-  
storiarum nonnunquam restituant. Id quod exem-  
plo Alphonsi regis Arragonum facile  
probare possumus. Is cum aliquando ad-  
uersa laboraret uoletudine, Medicis autem  
nihil proficientibus, & ipse subinde grauif-  
simis premeretur doloribus, Q. Curtij hi-  
storias de rebus ab Alexandro Magno ge-  
stis, legere cœpit. Qua lectione ita tandem  
fuit delectatus, ut iam doloris oblitus, pau-  
latim pristinae sanitati restitui, sibi uideretur.  
Deinde cum morbum prorsus superas-  
set, ualeant, dixisse fertur, Galenus, Aui-  
cenna, Hypocras, & omnes alij Medici, ui-  
uat solus Curtius sanitatis meæ restitutor.  
Quo dicto nimirum indicare uoluit, histo-  
riarum lectionem, alijs omnibus præstan-  
tiorē esse, cum ad fallendum tedium, tum  
ad uoluptatem animi, corporisq; uoletudi-  
nem

nem tuendam. Nam & Philemonis testi-  
monio, nuda Oratio sane utilis est ægro-  
tantibus. Veluti enim splenium ulceri aptè  
appositum, inflammationem sedat, ita &  
oratio dolorem mitigat. Vnde quidam  
non inepte literas ipsas Medicum animæ  
dixerunt. Accedit deniq; quòd omnis uitæ  
sola Historia magistra est. Hæc siquidem  
prudentiam, & iudicium parit. Nec tamen  
ingentia solum facta, sed tenuia quoq; no-  
uisse sæpe ex usu est. Quod uerū esse liquet  
in Anchise, si Vergilio credimus. Hic enim  
Veterum uoluens monumēta Virorum,  
Æneæ filio, & reliquis Comitibus, Cre-  
tam Insulam nauibus petendam persuasit.  
Quid uoluit Æneas cū in Ambracia Cly-  
peum magnum gestamē Abantis postibus  
aduersis figeret, & rem carmine signaret?  
nisi ut scirent successores Æneam, cū Tro-  
ianis huc aduectum, & posteris suis in fi-  
dem



dem illud monumentum ostenderēt. Mul-  
ta in hanc rem adducerem, nisi uobis **GE-  
NEROSI ET ILLVSTRES**  
**VIRI ET COMITES** molesta es-  
se ducerem, qui hæc quoq; melius, q̄ ipse-  
met, intelligatis. Authores ipsos, ex qui-  
bus Historiæ illæ transumptæ sunt, studio-  
sè perlegi, omnesq; apposui, ut si qui uo-  
luerint plura de singulis rebus gestis scire,  
habeant unde petant. Singulares historias  
centum & quatuor cōgestas, uobis offero,  
& dedico, ut tandem studiosi adolescentes  
salium, facetiarumq; libellis relictis, has,  
uobis authoribus, legere, & memoriæ  
commendare discant. Accipite pro uestro  
singulari erga omnes studiosos fauore  
hoc leuidente, pro fœlicissimo huius noui  
anni auspicio, munus, donec suo tempore  
grandiore argumento uos exornare eue-  
niat. Bene ualete **ILLVSTRES ET**  
\* **GENE-**



GENEROSI COMITES, & me  
commendatum habete. Ingolstadij Cal.  
Ian. Anno Christi M. D. L XII.

Illustrium D. V.

Deditissimus  
seruitor

M. Hieronymus  
Ziegler, publicus  
Ingolstadij Pro-  
fessor.

## CANDIDO LECTORI S.



**P**RODEVNT QUOTI-  
die facietiarum, salium & triuialium libel-  
li Germanici, quibus uulguſ imperis-  
rum tedium fallit, & illud genus studio-  
rum non parum admiratur. Quorum  
libellorum cum ſubinde magnam copiam circumferri  
& diſtrahi uiderem, uenit mihi in mentem, me rem gra-  
tam multis facturum, ſi ex optimis, probatiſſimiſq; au-  
thoribus, ſingulares quaſdam excerpere hiftorias, eaſq;  
in Germanam noſtram linguam translatas, publica-  
rem. Cum igitur iam in transferendo laborarem, con-  
uenerunt me quidam eruditi uiri, & conſilium meum  
intelligentes, hortari non deſtitere, ut primum illas ſe-  
lectas hiftorias latinè ederem, deinde Germanicè. Quo-  
rum authoritate, ac iudicio fretus, Chalcographo excu-  
dendas latinas hiftorias commendauì. In quo Lecto-  
rem candidum oratum uelim, ut cogitet me in hac edi-  
tione nihil noui, ſed tamen res ueteres, nouo modo af-  
ferre & tractare. Et quia Germanicè hæc omnia à me  
ſcripta primum erant, latinam interpretationem ruruſ  
ex iſis authoribus deſumpſi, à quibus plæraq; deſcripta  
antea fuere, ſicuti ex ſtyli diuerſitate quilibet colligere  
poſteſt. Interim tamen nullam annorum aut rerum ge-  
ſtarum ſeriem ſequutus, plæraq; conſuſe in capita ( ſi

cuti & ab Eusebio, alijsq; historicis aliquando factum  
uidemus) distinxī, ut uarietas, aliquando & nouitas rei  
Lectorem excitaret, alacrioremq; redderet. Quamob-  
rem inuenies integra uerba, Periodosq; perfectas au-  
thorum ipsorum; melius enim reddi posse non cogitas  
ui, q̄ sicuti antea scripta sunt. Sed quia nuncq; deest ma-  
gnus interpres, candidum Lectorem, cuius beneuo-  
lentia & æquitate fruor, prius hæc scire uolui. Facile quis-  
dem est cuiq; huiusmodi operam sumere, inquires: fateo-  
or, neq; ego in hoc laudem mihi quærere, sed potius, ut  
haberent alij exemplum imitandi, modum quendam  
ostendere uolui. Sunt innumerabiles historiarū codi-  
ces, unde huiusmodi, atq; etiam forsā utiliores historis  
as quiuis eruere, & congere poterit. Mea nihil refert,  
modo candidus Lector, nostrum laborem non contem-  
ninet, sed prius, an exigendæ, aut legendæ illæ His-  
toriæ sint, dijudicet. Beneuale Lector can-  
dide, & interim hoc meo labore fruere,  
breui Germanicum, quod iam  
sub prelo est, habiturus.

M. VVOLF



M. VVOLFGANGVS ZET-

telius Ingolstadij Philosophiæ Professor ordi-  
narius &c. M. Hieronymo Zieglero  
Collegæ suo coniunctissimo S. D.



ILLVSTRES TVOS

*Viros manu Latinè & Germanicè  
scriptos, qui olim in Germania, ueluti  
lumina quedam fulserunt, magna cum  
uoluptate legi. Inde enim eorum quoq; notitiam consecu-  
tus uideor, qui tanto tempore ferè aut delituerunt, nec  
multo aut publico scriptiõis genere, nisi forsã sparsim  
et obiter celebrati fuerunt. Qua quidem in re gratulor  
tibi felicitatem, & industriam tuam laudo, ac prædico,  
quod patriæ nostræ præstantes uiros, quos aut cæca nox,  
aut obliuio magna ex parte obruisset, uno uolumine in  
publicum profers, omnibusq; conspiciendos exhibes.  
Cumq; iuxta Ciceronem nihil ex omnibus rebus humanis  
præclarius, aut præstantius sit, quàm de Repub. bene  
mereri, ipsaq; patria nihil charius in uita esse possit, aut  
debeat: tu præclaram in ea exornanda operam nauasti,  
cum eius ornamenta, atq; decora, quibus præcipue flõ-  
ruit, demonstraisti. Quis autem tam alienus ab omni pie-  
tate, & honestate esse potest, qui cum cernit compatrio-*

tas suos, aut præclarorum factorum autores fuisse, aut nefandorum facinorum perpetratores, ad ea quæ recta sunt imitanda, & quæ turpia fugienda, animo saltem non excitetur? Nihil enim exemplo uehementius, nullaq; memoria eorum, quæ uel geri uidimus, uel audiuius excitatior, & uiuacior esse consuenit. Cumq; passim exemplorum usus necessarius sit, sic in ijs, quæ non saltem cognosci, uerum etiam agi, atq; præstari uolumus, exempla maximam præbebunt uim, & quod dicitur, calcant addent, apud rudiores præcipue, ubi rationibus, & argumentis rerum abstrusis, parum aut nihil proficias: at si dictis et factis, uel recte, uel secus, illud tentaueris, tunc quidem, ueluti impetu quodam eos, quos antea languere conspexeras, ad agendum rapi atq; moueri senties. Vbi enim pudor quidam, & præclare agendi igniculus reliquus est, ibi optimos quosq; sectandi, et alacritas, & desiderium existit. Ob id Agesilaus Rex Lacedæmoniorum, si quid erat quod celeriter per milites confici uellet, ipse in conspectu omnium obibat, sentiens efficacissimum hoc esse genus exhortationis, ut quod apud alios obtinere uoles, ipse prius facias. Simili modo Alexander Magnum consternatos iam metu milites sæpe exemplo suo excitasse, passim apud idoneos autores constat. Est enim profecto natura humana ad præclare agendum



agendum in mundo iam senescente, & passim in deterius  
proruente segris, & tarda, & ob id exemplorum, &  
præmiorum ueluti lenocinijs exuscitanda. Hinc Mil-  
tiadis trophœa Themistoclem excitauit, Achillis  
facinora Alexandrum incenderunt, Iulium Cæsarem  
Alexander Magnus extimulauit ad fortiter agen-  
dum. E contra extremam eorum esse impudentiam, qui  
nec sponte, quæ recta sunt faciunt, nec aliorum exem-  
plis permouentur, Poetæ carmine passim recepto satis  
docetur.

Qui rebus non consulit ipse cadentibus ultro,  
Inducitq; animum uoces contemnere ueras,  
Ille quidem inuisus diuis, & inutilis orbi est.

Quare non possum non institutum tuum Hierony-  
me doctissime, uehementer laudare, qui ingenuo quo-  
dam labore historiarum strenuum agis, & cultorem,  
& indagatorem, ubi exempla in penu quasi quodam re-  
condita iacent. Continent enim historiæ dicta, et facta,  
quæ imitatione digna sunt, ita tamen ut circumstantiæ  
locorum, temporum, & causarum fidei, & ueritatis er-  
gò, apte, & ordine demonstrantur. Sed notius est lucu-  
lentum illud testimonium quo Cicero 2. de Oratore hi-  
storiam celebrat, quàm à me recitari debeat, Cum au-  
tem



tem, ornatissime Hieronyme, ueritas prima lex sit histo-  
rie, eam diligentissima Veterum lectione, & excussio-  
ne, partim etiam propria inquisitione, ita nactus uideris  
in *Vitis* a te descriptis, ut nec opera desideretur, nec fi-  
des historiographo digna deesse uideatur. Nam Ger-  
mani antiqui scriptores eo nomine traducuntur, quod  
res gestas, sibi etiam exploratas, debitis circumstantijs,  
& præcipue causarum necessario contextu non raro  
per negligentiam omisso, luce sua priuarint. Porro Græ-  
ci, Salustij, et aliorum testimonio, partim amore patriæ,  
partim exuberanti quodam genio, suis quandoque nimium  
tribuisse, haud obscure feruntur, sed qui, propter alias  
præclarissimas dotes, quibus affectum hunc erga patri-  
am compensarunt, magis excusantur quam incusantur.  
Ad me autem quod attinet, licet angustiorem mihi do-  
mi suppellectilem iudicij, ingenij, atque doctrinæ, facile  
intelligam, quam quæ tibi aut tui similibus, in eo quod pe-  
tis gratificari queat, tamen ex eo, quod officium meum  
postulas, facile, & modestiam, et candorem tuum agno-  
sco, utpote qui amici, & sinceri, & aperti, licet non sa-  
tis eius rei periti, calculum minime recusandum arbi-  
tratus es. Qua quidem re gloriosulorum, & sua nimis  
tumide iactantium morem, & recliissime & uerissime  
condemnas. Quamuis autem antiquitatis, mediæ seu sta-  
tæ ætatis

te ætatis mundi, & eorum quæ his postremis tempori-  
bus acciderunt, cognitione, & noticia longè te inferi-  
or sim, tibiq; facile, & libenter cedam. Tamen horum  
omnium desiderio, & amore non minore me, quam te ca-  
pi liberè & ingenuè profiteor. Quoties enim præcipuè  
Germanorum Imperium, summa uirtute Francorum,  
& Alemannorum partum, defensum & paulo post in  
tota Europa amplissimè propagatum, ad summum di-  
gnitatis & potentie fastigium conscendisse considero,  
sensimq; & paulatim ambitione, ac libidine rapiendi  
(unde discordia, luxus, rebellio, contumacia, inobedi-  
entia, & seditio tanquàm pestes ex uoragine, & bara-  
thro quodam prodierunt) ad tantas, quibus nunc  
uisitur, angustias reductum expendo, hocq; quod superest  
dum cogito, quanto perè partim intestinis odijs, partim  
ab extero hoste, & eneruetur, & quassetur, totus equi-  
dem ingemisco, & ex animo doleo, metuoq; ne dicta iam  
uitia, quæ omnibus imperijs, & Regnis atroces pepe-  
rerunt exitus, nobis quoq; summum infortunium, et cala-  
mitatem allatura sint. Sed de his, charissime Hierony-  
me, licet conqueri possim, illis tamen mederi opis non est  
nostræ. Ob id per literas ea de re colloqui tecum desino.  
Christum Opt. Max. precor ut in hoc postremo sene-  
scente, & corruptissimo seculo, suam nobis impertiat

\* gratiam,



gratiam, ut profligatis teterrimis flagitijs, unum sentiamus, animisq; & pectoribus coniuncti pacem inter nos excolamus, gloriam Dei præcipuè spectemus, magistratus reuerenter tractemus, tandem pijs conceptis uotis omne robur, uires, atq; fortunas nostras ad impiorum conatus reprimendos, & ausus illorum retundendos conuertamus. His uale, & quæso tuorum Illustrum Virorum lectu dignissimorum, primo quoq; tempore latinis typis excusorum, nobis copiam facere non graueris. Datum Ingolstadij Id. Septembris, Anno partæ salutis humanæ.

M. D. LXI.

AD



AD D. MAGISTRVM HIE-  
ronymum Zieglerum huius operis authorem,  
Andree Roseti LL. Doctoris carmen.



On secus ac lætis benè consitus hortus  
( in agris  
Arbore habet fructus, pabu-  
( la semper humo

Sic tuus ingenij generoso gramine campus  
Et uiret, & flores pagina que eiq; tenet  
Colligis æterno dum sic quæ nomine digna  
Sunt à Germanis undiq; gesta uiris.  
Et promiss nucleos abiecto cortice rerum  
Cum dulci miscens utilitatis opus.  
Hæreo in ambiguo solidi num plus tibi honoris  
Historiæ pariant ipsus an historijs.  
Vtilitas magna est, nec gloria parua laboris  
Rite tuo historias munere posse legi.  
Victuris his unde tuis per secula scriptis  
Debita cum merita gratia laude datur.  
Perge igitur plures ex gestis carpere flores  
Exempli cupidum quos memorare iuuat  
Tunc Zieglerè tibi decernent gesta triumphum  
Vt quibus assidue te duce crescet honos.

# M. SIMONIS MINER VII

Proprætoris Monachiensis, Hendecasyllabum

Sapphicum Phaletium in gratiam

Hier, Ziegleri scriptum,



Fausto omine, sydere I secundo  
Firma ad mœnia quæ alluit suavi,  
Præter Danubius fluens susurro  
Arceis, hîc ubi Phœbus optimarum  
Artium pater & Minerua præles  
Altis posthabitis tenent Athenis;  
NEC segnis mea Musa fer salutem  
Ziglero ueteri meo sodali,  
Amico unanimi integerrimoq;  
Et primo in numero omnium meorum  
Quot sunt quotq; alijs fuere in annis,  
Quem nouena cohors amat sororum  
Cui Clio genium dedit potentem  
Iuncto seu pede seu uelit soluto  
Mandare Historias perennitati,  
Prisca qui monumenta Literarum  
Instar sedulæ apis per arua agrosq;  
Nectar mellisuum legentis ore  
Cuncta peruolitat diesq; noctes  
Texens fortia dicta facta centum  
Heroumq; Ducumq; ac Satraparum.  
HVNC quantum monitis potes laceffas  
E quantum precibus uales fatiges  
Amans neu nimio suos amore  
Sic usq; in gremio suo sinuq;

Contendat

Contendat teneros fauore partus  
Ceu Draco hesperijs tremendus hortis  
Custos peruigil incubans beatīs.  
Q V M claram potius sinat per auram  
Ire & ætheream uidere lucem  
Spectandum lepidum nouum libellum,  
Limatum satis & satis politum.  
NIL ronchos metuet Ciconiasq;  
Nasos auriculasq; sannionum  
Omnes unius æstimabit assis  
Nempe hæc illepidos & inuenustos  
Ac mei similes manent Poëtas  
Ipse hac a scabie integer manebit.  
N E C scombros neq; uestiet syluros  
Nigro, nec piperi dabit cucullos  
Sed pallatia Regias, theatra  
Aedes, compita, porticus, subibit  
Captans basia gratulationes,  
Quotquot pernumerare nemo possit  
Gratus omnibus omnium fauore &  
Plausu dignus ab omnibus legetur  
Quoscunq; historia allicit iuuatq;  
Testis temporis & Magistra uitæ  
Vetus nuntia lux serena veri.  
N V N C parens monitis Thalia nostris  
I fausto omine sydere I secundo.

\* iij DE



# DE GERMANICIS QVIBVS-

dam Historijs, ab Hieronymo Zieglero fideliter  
collectis, hoc lusit Decastichon Casparus  
Macer Oratoriæ Professor Ingolstadij.



Vm chartis alij ludunt, comeduntq̃,  
(bibuntq̃,

Festis diebus maxime.

Ludicra dumq̃ solent conflare Poëta  
(mata, nullo

Fructu, sine atq̃ numine.

Illustres uoluit Zieglerus condere tali  
Libro Viros Germaniæ.

Non Czebore tuos lusus, Marecolse nec æui  
Tui iocos leuissimos.

Nec Calebergiaci pastoris nequiter acta,  
Nec Narragonum classem uagam.

Nancq̃ Alemannorum præclare facta uirorum,  
Mireq̃ dicta, hic colligit.

Gentem uix ullah (librum modo legeris istum)  
Huic comparandam senties.

Tanta offert sese uerborum gratia, tanta &  
In rebus admiratio.

Quare maiorum lege dicta & facta tuorum,  
Germanum anhelans spiritum.

Commenda autorem, lege uera, & reiſce falsas  
Facetiarum ineptias.

# AD HIERONYMVM ZIEGLERVM

lerum carmen M. Gabrielis Castneri, Poë-  
ticæ scholæ Rectoris Monaci.



*Equoreas exit ueluti mercator in undas,  
Vt merces terrâ cõuehat, utq; mari,  
Historiarum æquè spaciõsa per æquora  
(uectus,*

*Zieglere in uasto gurgite quæris opes.  
Vtq; quod externis longè importauit ab oris,  
Quod de Gange, domi haud occulit ille suæ,  
Sic Zieglere tuas nobis exponere merces  
Instituis, doctas nec tegis historias.  
A duebis hic centum preciosos naue lapillos,  
T besaurus patriæ iustus hic esse potest.  
Quod si mercator nullis pelagiue procellis  
Territus, aut uentis, sæpius exieris,  
Tempore non longo diues Respublica fiet,  
Et tuus excrescens sidera tanget honos.*

*AVTHO:*

# AVTHORES, QVI

bus usi sumus.

Antonius Bonfinius de rebus Vngaricis.	Jacobus Vvimpelingius de rebus Germanicis.
Auentinus.	Iulius Cæsar.
Andreas Althamer.	Ioann. Vviterbienfis.
Annales Flandriæ.	Irenicus.
Achillis Gasseri Epitome.	Iustinus.
Atheneus	Lintprandus.
Aeneas Siluius.	Liuus.
B. Rhenanus.	L. Florus.
Berosus.	Monsterus.
Chron. Episco. Olmocenfis.	Martialis.
Chronica Patavienfis.	Martinus Polonus.
Chronica Hirschaugiensfis.	Marianus Scopus.
Chronica Poloniae.	Magister Albertus Argentii.
Chronicon Mogunt.	Manethon.
Chronica Schirensfis manu scripta.	Moscouiae descriptio.
Crantzij Saxoniam & Dania.	Nauclerus.
Catalogus Episco. Ratispo.	Plinius Iunior.
Cornelius tacitus.	Paul. Aemilius de Reg. Fræ.
Cuspinianus.	Suetonius tranquillus.
Dion. Calsius.	Sebastian Franck.
Flo. Iosephus.	Saxo Grammaticus.
Gloria mundi.	Strabo.
	Vergilius.
	Vuolf. Latzij, elucubration.
	Vuitichindus.

Illustrium



# Illustrium Germaniæ vi- RORVM HISTORIÆ.

## CAPVT PRIMVM, DE TVISCONE.



### VISCO GYGAS

filius Noë ex Tellure (quæ & Nertha, Vesta, atq; Titea dicta fuit) natus est post diluuium generale anno centesimo tricesimo primo, omnium Germanorum à Tanai ad Rhes-

num usq; pater, & conditor, in qua latissima prouincia Sarmatas, Vandalos, & omne genus cæterarum in Europa per vastissimam terram, nationum, inter limites duorum fluminum, uno Germanorum numero comprehendit Berofus. Is cum iam adoleuisset, regnumq; Assyriæ Nemroth possideret, ipse sibi adiunctis uiginti comitibus, fratrum suorum Sem, & laphet filijs, & nepotibus, multisq; alijs popularibus suis, ex Armenia discedens, Tanaim superat, inq; Europa eas regiones, quas hodie Germaniæ assignamus, forti manu sibi subditas fecit. Nam Scythia Eu-

A ropea,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

ropea, Germania, ac Sarmatia forte Tuifconi obuenerant. Fuit autem Tuifco uir strenuus, bello fortis, nulloq; eo tempore fortitudine animi secundus. Germanos, Scythas, & Sarmatas populos maximos prius fundauit, illisq; certas leges quasdam uiuendi dedit. Quas quidem leges non eo conceptu, quo nunc conscribuntur, comprehendit, sed in certum numerum cantionum redigi curauit, nimirum ut uulgus eas publice, & priuatim canendo edicerent, uoluntatem legislatoris intelligerent, adeoq; hac ratione imbiberent, ne aut obliuio obliteraret, aut ignorantia excusaret subditos. Vnde adhuc Germanorum cantilenæ apud nos in capita diuiduntur, quæ Germanico idiomate (*Gesatz*) dicuntur. Porro Tuifco perlustrato longe, lateq; eo tractu, qui est inter Rhenum, pontum Euxinum, & Tanaim, omnem ambitum eius terræ in Toparchias, & Terrarchias distribuit, Colonias ubiq; & passim deduxit, regiones habitatoribus impleuit, regionibus, montibus, fluminibus nomina suorum Principum, & Comitum imposuit; quæ certissima posteris monumenta antiquitatis, & rerum ibi gestarum fuere. Extat in Rheni ripa uicus ab eo Tuitsch dictus. Ab eodem etiam ducatum in Schondia Insula maris Germanici Tuischiam nomen accepisse tradunt. Neq; uanum est, omnes Germanos ab hoc uno, ut Tuifcones (*die Teütschen*) uocentur, nomen habere. Virorum fortia facta Tuifco, quæ exempla posteris essent, carminibus



bus celebrare instituit. Lucos, & nemora, in quibus res  
 diuinæ perpetrarentur, consecrauit. Auspicioꝝ, sortu-  
 mque disciplinas edocuit. Iussit ædificia magis neces-  
 saria, pro celi iniuria uitanda, quàm ambiciosa ædificare;  
 oppida condere parua, attamen munita natura locis.  
 Qui ius inrer subditos dicerent, principes constituit.  
 Nulli certum, aut proprium modum agri habere per-  
 misit, qua exre dissensiones effugit uulgus, quando uis-  
 debat suas opes cum potentissimis æquari posse. Vi-  
 ctum, & amictum parabilem comparari iussit: lacte, cas-  
 seo, carne ferina, pellibus, renouibusque tum omnes cons-  
 tentierant. Adulteria præsentis pena cohibuit. Omnes  
 statim à cunabulis labori studere præcepit. Quæque ad  
 fortitudinem animi, corporisque tolerantiam pertine-  
 bant, diligenter instituit. Tradit quidam ipsum quoque  
 literas inuenisse. Cum autem Tuisco bene, sapienterque  
 cum omnium amore, & reuerentia maxima, potestatis  
 annos centum sexaginta sex (nam uitæ plusque ducentos  
 uixit) compleuerat, ex hac uita, anno post diluui-  
 um 30. migrauit. Et quoniam ob merita uirtutum  
 charus fuit his, quibus imperitauerat, magnum desides-  
 rium sui mortuus reliquit. Quamobrem Germani,  
 Scythæ, atque Sarmatæ eum communi suffragio conse-  
 crauerunt, pro deoque habere cœperunt. Iudæis Aschenas  
 est. Matrem quoque eius Tellurem, siue Nertham, hoc  
 est terram, quæ omnia alit, sicuti Vergilius testatur, in-  
 quiens, Fundit humo facilem uictum iustissima tellus,



ILLVSTRIVM GERMANIAE  
nam ex terra Tuifconem natum credebant, numinis  
bus ueteres affcriperunt.

Caput II.  
DE COMITIBVS  
Tuifconis.

Viginti Principes, & Duces fuorum confanguineo-  
rum, populariumq; fecum habuit Tuifco, cum ex  
Armenia primum in Europam ueniret. Inter quos præ-  
cipuus fuit Tuifconis frater Scytha, prifcus cognomen-  
to. Hic transgreffo Tanai, omnem terram, quæ uerfus  
orientem in Europa erat, fibi addixit, à quo etiã pars  
Germaniæ in confinio Auftriæ, & Vngariæ Scythiæ  
nomen ( auff der Schitt ) retinet. Hinc etiã no-  
tandum, quicquid uſq; de Scythis in Europa ſcribitur,  
id de Germanis intelligendum eſſe, propter hunc Scy-  
tham prifcum, conditorem cum fratre Tuifcone om-  
nium Germanorum. Secundus dux Sarmata, quem  
Moſes, & Iofephus Afarmotem uocant, uir fuit armo-  
rum ſtudioſus, à quo Sarmatæ nomen accepere. Tertius  
fuit Dacus, qui & Danus. Hic condidit Danos, quo-  
rum rex hodie nominatiſſimus eſt in Germania, Latio  
neq; rex Dacorum, nobis eſt Danorum, ſiue Daniæ  
rex. Veteres Græci, & Latini Cimbroſ, Cimerioſq; ap-  
pellarunt. Geta dux quartus, à quo prognati ſunt Ge-  
tæ, & Goti. Quintus fuit Tibiſcus, qui regnauit in ea  
regione,

regione, ubi nunc sunt Vngaria magna, Septemcas-  
 trenses, & Valachia. Moësa sextus regulus, inter Da-  
 nubium, & Sauum, pontumq; Euxinum, cum duobus  
 ducibus, filijs suis Brigo duce septimo, & Thyno octa-  
 uo Moëfos condidit, qui populi hodie sunt Bosnenses,  
 Serui, & Bulgares, Turcis omnes seruiunt. Dalmata  
 nonus dux Dalmatas genuit, nomen manet. Decimus  
 lader, undecimus Albanus, Liburniam, quæ & Illyria  
 cum proprie, tenuerunt. Vbi sunt ladera Colonia: ibiq;  
 Albanenses populos enumerat Plinius, Germani Ve-  
 nedicam Marchiam nominant. Sauus duodecimus  
 Tuisconis Comes clarissimo anni (Saw) nomen  
 fecit, qui Pannoniam à Moësis separat, Pannonem tre-  
 decimum pannoniam incoluisse cum fratribus Salone  
 decimo quarto, & Azalo decimo quinto duce nemo  
 omnium inficias ibit. Quanc; sunt qui Pannoniam à  
 Pane deo pastorum, dictam putât. Ptolomeus in Pan-  
 nonijs Salam Urbem, & Azalorum populum ponit.  
 Hister decimus sextus annium Europæ maximo, His-  
 triæq; celebre apud posteros nomen indidit. Sunt qui  
 Danubium Bessorum lingua Istrum uocari tradunt.  
 Superiora Fauonium uersus tenuit Adulas decimus  
 septimus, cuius nomen adhuc mons altissimus inter  
 Oenum & Rhenum refert. Diclas decimus octauus,  
 Obalus decimus nonus, & Epirus uigessimus, ubi nam  
 gentium confederint, incertum est.



## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput III.

### DE MANNO.

**M**annus Tuisconis filius patri in regno post diluuium anno 307. successit, regnavitq; apud Sarmatas Rheni, cum patre Germanorum pater, & conditor censetur, cuius nomen & memoria adhuc apud Germanos celebris permanet. Hinc & Germania Alemanniae nomen acquisiuit, & habet. Item Alemannus, & Hermannus, atq; plura alia à Manni nomine composita inueniuntur. Mannus rerum potitus sexaginta sex annos, mortuus est. Testamento suo cauit, ut Ingeuon filius natu maximus in regno succederet. Mannum regem suum ueteres ob fortitudinem animi in deorum numerum retulerunt. Cuius regni anno 43. Noas, qui & Ianus in Italia obiit, ab illuue aquarum anno supra trecentessimum quinquagesimo.

Caput III.

### DE HERMIONE.

**H**ermion, qui & Herminon minimus natu inter filios Manni, nepos Tuisconis, Germanis praefuit annis tribus, & sexaginta, regnavit in Mediterranea Germania, quintusq; Germaniae Magnae Imperator, Anno post diluuium 411. Vir fuit ferox, bellicosus, rei militaris studiosissimus, Bardus, carminum, & Musicae inuentione



inuentione apud Celtas inclytus. Est autem Hermion  
 uir exercituum, hodie Hermannus dicitur. Ab ipso no-  
 men habent Hermiones, quartum genus Germano-  
 rum inter Rhennm, & Danubium habitantes. Disci-  
 plinam militarem Hermion apud Germanos primus  
 instituit, legesq; militandi ita sanxit. Quotannis aliquot  
 millia hominum bellandi causa educebantur in proxis  
 mas quasq; regiones. Reliqui qui domi remanserant, se-  
 atq; illos aiebant. Hij rursus inuicem proximo anno in  
 armis erant, illi domi laborabant. Vinum ad suos im-  
 portari non sinebat, eo quod uinum homines ad ferens-  
 dum laborem molles faceret. Hic post mortem ob uir-  
 tutes, bellica facinora, & bene merita à suis in caelum  
 sublatus, cultusq; est pro Deo, & belli praeside. Tem-  
 plum Hermionis apud Saxones uetusta religione  
 Augustissimum fuit, etiam usq; ad Caroli Magni tem-  
 pora, quo frequens populus uoti reus ibat. Signum, &  
 Idolum eius Hermansuel, id est, Hermionis Salam, si-  
 ue columnam, Carolus Magnus castello Heresburg  
 capto, in monte Martis, subuertit. In quo templo in-  
 gentem copiam auri, & argenti, quam uota reddentiu  
 um grata uoluntas congefserat, inuenit, abstulit, militi-  
 busq; distribuit: delubru incendit, diruit, & solo aquas  
 uit, adeo ut ne uestigium eius appareret, anno domini  
 822. Signum Irmensuel, siue Hermansuel dictum esse  
 uolunt, quasi dicas, Iedermansuel, utpote comune pro-  
 fugium, Asylum omnium, & Martem communem.

Erat

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Erat simulachrum eius armati hominis toto corpore effigies, in cuius dextra signum militare, in sinistra libra, & in clypeo Leo fuit. Dum in Germania rerum potitur Hermion, Osyris cum sorore Ifide in Aegypto regnavit, agriculturam, atq; etiam Zythum coquere ex hordeo Germanos docuit. Moritur Hermion anno post diluuium 474. Post Hermionem regnavit Marſus, Marſum excepit Gambriuius, qui & Cimber, à quo Cimbri, & Cimbrica Cherſoneſus nomen habent.

### Caput V. DE SVEVO.

**S**Veus octauus Germaniæ Magnæ rex patri suo Gambriuiſo ſucceſſit, regnavitq; annis duodequingenta. Autor & conditor Sueuorum gentis, interiora Germaniæ, maioremq; partem poſſedit. Et licet varias ſub ſe haberet gentes, in communi tamen omnes Sueui à ſuo rege dicti ſunt. Fuit Sueuorum gens longe maxima, notiſſima, & bellicoſiſſima inter omnes reliquos Germanos. Ab Hercynia ſylua, uſq; ad medium Albiſ protenſi, inde ab Albi Sueui Senones (ubi nunc Luſatij, & Sileſij) uſq; ad Sueuum amnem, quem accolæ Oderam uocant, omnia tenuerunt. Porro Sueuiã triplex eſt, pars in Magna Germania inter Rhenum, Danubiumq; amnes continetur, pars inter Hercyniam ſyluam, Lycum, Rhenum, Danubiumq; ad



ad Italiam pertinet. Cæteri in Gallia Celtica confident, nunc Saitones, Helueciq; appellantur. Isis mater Herculis Lybij regina Ægypti in Germaniam ad Sueuum uenit, frumenta temere incognita, mortalibus inter ceteras herbas nascentia reperit, serere, molere, terere, deinde panes conficere Germanos docuit. Lanificij, & olei, atq; uini usum monstrauit, ob id Dea credita. Quam & Sueui consecrarunt, atq; pro Dea coluerunt. Signum eius in modum Liburnæ figurarunt, quæ doceret aduectam religionem, peregrinumq; sacrum. Discessit inde Isis in Italiam, Ceres ibi, & Iuno cognominata. Ferunt quidam Sueuum regem oppidum Turicense maius iuxta Limagi fluij ripam construxisse. Ego uero neq; affirmo, neq; refello. Nam in rebus obscuris, & dubijs, ubi nulla ex Annalibus accedunt adiumenta, satius est nihil pro certo affirmare, q̄ plura dicere.

## Caput VI.

## DE VANDALO.

**V**andalus Manni pronepos, Rex Germaniq; Vandalorum pater & conditor, quos primum genus Germanorum esse Plinius scribit. Regnauit Vandalus apud Tuiscones tempore Artaxerxis duodecimi Babyloniorum regis anno post diluuium 606. Vandali populi trans Vistulam habitauerunt, in ora sinus Venedici, post mortem Theodosij Magni Aphricam, Carthaginemq;



ILLVSTRIVM GERMANIAE  
ginemq; occuparunt. Vandali regis temporibus Pro-  
metheum uirum sapientissimum uixisse scribunt.

Caput VII.  
DE HERCVLE ALEMANNO.

**H**ercules cognomento Alemannus Germaniae  
Magnae rex fuit, regnavitq; temporibus Manca-  
lei decimi quarti Assyriorum regis post diluuium anno  
655. Cuius aereum signum in Augia maiore ad nostra  
usq; tempora seruatum fuit, & à Maximiliano Rom.  
Imp. Oenipontum delatum, quod uulgo Alman dices-  
batur. Ab hoc Alman *weiter* Monasterium, Alman-  
hofen uicum, item in Boiaria Almanstain, & flumen  
Alemannum (*Altmül*) dictum esse uolunt. Cui  
Theodo dux Boiorum huius nominis primus circa an-  
num domini 508. cum Vindelicum occupasset, sacer-  
dotes Christianos occidisset, gentilismum inducere rursus  
in has prouincias fugatis Romanis, uolebat, Luce-  
cum & monte in proxime Reginoburgium, Danubio  
inminentem, uersus Abach uicum, more maiorum,  
tamq; uictori, & bellorum Praefidi dedicauit, eiusq; no-  
mine Argeloë appellari iussit, ibi sacris, ritu patrio ope-  
rari praecipit. Ea sylua postea Monachis D. Haimera-  
mi dicata est. Ager & territorium Herculis huius adhuc  
in Holandia extat, & Arckel dicitur. In Leodiensi Dio-  
cesesi uicus est nomine Erckel, Sunt qui Hercyniam  
syluam,

syluam, totius Germaniæ uastissimam ab hoc Hercule  
 nomen inuenisse dicant. Viuum Leonem secum cas-  
 thena ligatum passim circumduxit, & ob id in clypeo  
 suo Leonem habuit, propterea quod Leo bestijs om-  
 nibus imperitat, unde inuictū ad fortia facta animum,  
 & impetum ex insignibus monstrabat. Proinde alere  
 Leones gentilicium est Boiorum Principibus. Nam  
 gentis Boiorum pater, & conditor primus fuit, D. Hie-  
 ronymus, & Eusebius hunc primum Herculem fuisse  
 autumant, an uero bene uel male, ego nolo dicere, au-  
 thoritatem tantorum authorum ueritus, ut satius sit ta-  
 cere, q̄ aliquid affirmare, quod fide aliorum constare  
 non posset. Postea q̄ Alemannus cum iusticia, & equi-  
 tate suis recte præfuisse, eundem iam mortuum celesti  
 nomenclaturæ maiores Boiorum, beneficiorum me-  
 mores, ascripserunt, bello q̄ prefecerunt, & primum  
 omnium uirorum fortium ituri in prælia ceciderunt.  
 Canitur adhuc apud Francos Orientales in memoriam  
 huius Herculis hymnus, in Quadragesimæ dominica  
 Letare, à pueris. Nam eo die mortis imaginem pueri  
 uicini stramine conficiunt, atq̄ hastæ alligatam urbe  
 exportant, & in fluuium proijciunt, Ibitum non semel  
 Herculis nomen nominatur, sed per Metathesim He-  
 gurle, pro Hercule, pronunciat. Quem ludum ego  
 paruulus Rotenburgij ad Tuberam, quæ mea patria  
 est, non semel lusi. Relatus in deorum numerum, à gen-  
 tibus magni, & coelestis numinis instar fuit. Et qui



## ILLVSTRIVM GERMANIAE

cunq; eo tempore in numerum Deorum referebantur, Dij Indigetes dicebantur, propter eximias belli, & pacis artes, quod de genere humano bene meriti essent, celebrem posteris memoriam reliquissent. Sicuti hic Hercules, item Æneas, Romulus, & alij.

### Caput VIII.

### DE BOIO.

**A**Lemannus Hercules liberos habuit plures, ex quibus precipui fuere Noricus, Hunnus, Heluecius, & minimus natus Boius. Post mortem Alemanni fratres, uti fit, de regno Germaniæ Magnæ contendunt. Rhomus qui tum in Gallia, anno post diluuium 558. Imperitabat, inter fratres regnum diuidit, singulisq; terminos Imperij distribuit. Boio sorte euenerunt Alemanni, & Hermionum non parua pars. Quos populos à se Boios nuncupauit. Primam sedē habuit Boius intra Hercyniam syluam, & extra, qua Occidentem, Danubiumq; spectat. Quam regionem à Boijs adhuc Boiemiā cognominamus, quod nihil aliud, q̄ Boiorum patriam declarat. Condidit Boius Bubienum, siue Boiobinum, quæ & Marobodum postea fuit, nunc Praga est. Sed Boij tandem à Sueuis Marcomannis Boiemiā eiecti, ad Danubium, Alemannum, & Rhodonesum confidunt, ibiq; adhuc habitant, seq; incunabula Boiorum incolere, & tenere gloriantur. Boius etiā  
am in



## VIRORVM HISTORIAE. >

am in confinio Boiemiæ, Vindelicorum, & Noricorum, inter confluentes Danubij, Oëni, & Illisi Boiodurum condidit, Boijs id Turrim ualet, Romani Bathasiam uocant. Moriens Boius filiū Ingramum, cognomento Herminium heredem fecit, à quo primum inter confluentes Nubi, Danubij, & Rhegi oppidum conditum esse fertur, atq; Ingramshaim dictum, postea in aliam ripam translata urbs, nunc Reginoburgium, olim Boiorum caput, hodie Imperialis ciuitas est.

### Caput IX.

### DE FRANCONIÆ.

POST Brennum, qui apud Boios regnauit, & quem Bathasiam Noricorum sepultum esse fama tenet, regnum suscepit filius eius Hiccar, qui in fastis Hichtar, scriptoribus Annalium Hector est. A quo Hiccare frequens etiamnum diæterium uulgo iactatur, uti scilicet audacem, intrepidumq; homuncionē (*Heckerlein*) uocitenuus. Huic Hiccar in regno successit filius Francus, siue Franco rex, ex antiquissimis Boiorum regulis originem ducens, qui apud Celtas regnare cepit anno post diluuium 1136. Autor & parens primus Francorum gentis. Quod nomen frequens est in fastis antiquis, deductum à libertate, quæ Teutonum lingua (*Freyhait*) dicitur. Hoc cognomen Franconibus Orientalibus tribui solet. Vocitantur enim uulgo,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

(Die freyen Francken /) hoc est, liberi Franci. Fuerunt qui Francorum originem à Troianis deduxere, decepti Hectoris Troiani nomine, cum noster Franco Hiccaris, non Hectoris filius fuerit. Hoc uerum effeliquet, huius Franconis tempore, quarto ante Samsonis praetoram anno, bellum Troianum cepisse, & per decem annos ibidem continenter belligeratum esse. A Franconie numerant ad Tarquinium priscum regem Romanorum annos 556. Sub quo rege Boij aliquantidiu incogniti, rursus bello clari, reliquis gentibus innotuere.

### Caput X.

### DE DRUIDIS.

**Q** Vos Persae Magos, Assyrii Chaldeos, Hebraei Scribas, Aegyptij Prophetas, Greci Philosophos, Latini Sapientes, Indi Gymnosophistas, & Germani suo idiomate (Druiden) uocant, hos Galli ueteres (qui et olim inter Germaniae populos numerabantur) Druidas uocabant. Hos Druyus siue Dryus rex, qui apud Celtas ante natum Christum anno 1877, tempore Arii regis Babyloniorum sexti, anno 29. regnauit, periciae & futurorum plenus, primus instituit, Druidarumq; Collegium religionis ergo fecit. A quo & nomen sortiti sunt. Vel ut quidam uolunt à dryos, quod est quercus, alij autem à fide & Germanica uoce Drou, & Treu, quod eis tamq; sacerdotibus fides à uulgo habebetur,



beretur, dictos esse uolunt, Homines superstitiosi, Gallorum sacerdotes, & Bardi fuerunt, Heremitico more in syluis, & nemoribus habitabant, Diuini, atq; humani iuris peritissimi, & ob id religioni suæ deditissimi. Sacris rebus perpetuo studebant, religionem interpretabantur. Naturæ rationē, quam philosophiam Græci appellant, notam sibi esse profitebantur: & partim augurijs, partim coniectura, quæ erant futura prædicebant. Quoties Galli aliquo metu perculsi erant, Deos placandos esse suadebant Druidæ. Tunc statim uotis certis conceptis, humanis hostijs aras Gallorum, funestabant Druides: neq; religionem suam, ac se colere credebant, nisi eam ipsam prius scelere uiolarent. Deos ipsos inimortales arbitrabantur hominum scelere, & sanguine facillime placari posse. Si quando prælia Galli parabant, in auspicia pugnae hostias instinctu Druidum cedebant (inmolabant enim Druidis nequaquæ absentibus) sperantes deorum minas expiari cæde suorum posse, coniuges, & liberos suos trucidabant, auspicia belli à parricidio incipiebant. Hominem diuinationi destinatum à tergo ferientes, ex ipso impatientiæ, afflictiq; modo uaticinium capiebant. Deniq; præter naturalium rerum studia disciplinam morum exercebant. Iustissimi omnium opinione, ideo ferè de omnibus controuersijs publicis, priuatiscq; præmia, penasq; constituiebant. Quicumq; eorum decretis resistebat, illi aqua & igni atq; sacris interdicebant, quæ erat pcena grauissima.

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

grauissima. Quamobrem huiusmodi hominē à Druidis, bannitum, ceteri omnes fugiebant, aditu, & colloquio prohibebant. Druidis unus erat Supremus ordinis, quo mortuo, alius, qui dignitate pollebat, eligebatur. Certo quodā tempore in syluis, & nemoribus sub quernis arboribus conueniebant, controuersias iudicabant. A bello liberi omnes erant, neque tributa pendebant, omniumque rerum immunitatem habebant. Multi in disciplinam coibant, magnumque uersuum numerum ediscebant. In primis hoc docebant, animas hominum non interire, sed ab alijs post mortem transire ad alios: atque hoc ad uirtutem excitandam, utile putabant, metu mortis neglecto. Præterea de syderibus, atque eorum motu, de rerum natura, de ui atque potestate Deorum disputabant, & iuuentuti tradebant. Mercurium pro Deo habebant, tamque omnium artium inuentorem. Item Apollinem, Iouem, Martem, & Mineruam uenerabantur. Apud Heduos mons altissimus, nubibus proximus, & plenus quercubus est, qui etiam hodie mons Druidum appellatur: in quo monte olim Iouis & Berecynthiæ matri Deorum, ac Mercurij sacra peragebant. Porro uisco, quæ in querna arbore nascebatur, nullum presentius numen estimabant, nullumque sacrum sine arboris, uel quercus fronde, aut uisco conficiebant. Tempore Iulij Cesaris Druidum Collega fuit Diuitiacus, Heduus, ut Cicero testatur, uir magnæ autoritatis. Tam uana superstitio inter mortales tum præcipua fuit,



fuit, & etiam ad Boios ipsos peruenit, quia in initio sub quercu superiore, & inferiore (ubi nunc sunt Obernaltaich & Nidernaltaich monasteria in Inferiore Boiaria) sua sacra peragebant. Vestitus Druidum fuit preciosus ualde, superbiae & ornamentorum studium eis singulare, Collo torques, manibus anuli, & lacertis armillae. Vestes tinctas, & auro pictas gerebant. Calceamentum erat philosophicum, figura Mathematica. Durauit haec uana religio, usque ad tempora Tiberij, & Claudij Rom. Imp. qui eos omni Gallia exegerunt: successa eorum sylua. Ipsi in Germaniam Magnam trans Rhenum, tamquam cognatam, & eiusdem sermonis gentem, demigrarunt. Manet ab eis apud nos adhuc terriculamenti nocturni genus, quod homines in somno fatigare, & exugere infantes creditur. A quibus & nunciu Vurtzburgenses (*Druttensüß*) nuncupati sunt. Ex horum professione fuere patrum memoria, quos studiosos peregrinantes (*die fahenden Schüler*) nominabant. Qui se, in, nescio quo, Veneris monte fuisse, & ibidem edoctos gloriabantur.

## Caput XI.

## DE ALIRVNIS.

**C**imbri populi, qui ante Virgineum partum supra quinquaginta annos sedibus suis relictis, cum uxoribus, & liberis suis, nouas petere sedes annixi sunt.

**C** Quorum

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Quorum uxores societate militandi uiris semper con-  
 iunctæ fuere. Inter quas mulieres, aliquæ sacerdotes  
 erant, diuinationis peritæ, quas patrio sermone Alirus  
 nas ( *Alraun* ) nuncupabant. Hæ incinctæ Zonis,  
 nudis pedibus, sparsis, canisq; capillis, linteaq; tunica, &  
 alba ueste cinctæ, captiuis hostibus per castra, strictis  
 occurrebant ensibus. Hostes ipsos ad humum sternens  
 tes, ad æreum craterem pertrahabant. Deinde eos in  
 sublime tollendo iugulum ferro aperiebant, & ex pro-  
 fluente tum sanguine in craterem, euentum belli uaticio  
 nabantur. Aliæ dissecto uentre ex intestinis uictoriam  
 interpretabantur suis popularibus. Inter preliandum  
 uero pelles ad carrucarum uelamina extensas crebris  
 pultabant ictibus, ingens strepitus cum horrore edeba-  
 tur, quo audito hostes sepius uicti, & fugati sunt. Nos-  
 tra ætate Circumforanei illi, institoresq; radices quas-  
 dam, hominis imaginem referentes, pilis quasi, & tricis  
 passim circumdatas, & oppletas, atq; eadem sub patis-  
 bulo inuentas, magna commendatione, cum audito-  
 rum admiratione prædicant, uenales habent, Alirus  
 nasq; nominant. His imagunculis ignobili uulgo, &  
 simplicibus agricolis imponunt. Deniq; sibi credi, se illa  
 rum uirtute futura noscere, ac prædicere, uolunt; atq;  
 aliquid magnæ fortunæ portendi, si quis eiusmodi Alio-  
 runam secum domi habet, & fouet, impudentissime  
 menciuntur. Impostores sunt, nebulones, & male fe-  
 riati homines. Sicuti in Germania plures comprehensi,  
 imposturam confessi, pœnas dederunt.

Caput



## Caput XII.

DE LEGATIONE GERMANORVM  
ad Alexandrum Magnum.

**C**VM Sueuorum, qui Adriam incolebant, in sinu  
 Ionio, in finibus Dalmatiæ & Istriæ, aliorumq;  
 Germanorum Legati ad Alexandrum Magnum missi  
 essent, ut amicitiam cum eo iungerent, familiariter ab  
 Alexandro, & benigne tractati sunt. Deinde omnibus  
 exuoto peractis, animo suo temperare, nequiere Ger-  
 mani, præsertim Sueui, qui à natura loquendo prom-  
 ptiores, & gloriabundi sunt, nunq; tacent interrogati,  
 ac ceteros præ se omnes populos contemnunt. Quos  
 cum Alexander in fidem, & amicitiam recepisset, ex illis  
 quesuit. Quid nam esset in humanis rebus, quod præ-  
 cæteris Germani extimekerent. Nam nominis sui ma-  
 gnitudinem ad illos penetrasse, seq; præ omnibus sibi  
 formidolosum esse responsuros, putabat. Germani  
 præter spem responderunt breuiter, se illud ante omnia  
 timere, ne forte in se celum aliquando rueret. Nihil  
 mouit Alexandrum tam arrogans respon-  
 sum, quin nihilominus in amicitiam  
 semel receptos seruauit, atq; inco-  
 lumes domum remisit: id ta-  
 men elocutus, Germa-  
 nos omnes arro-  
 gantes esse.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput XIII.

DE MARICO.

**I**Nter Boios, quos Hedui in societatem, atq; amicitia  
 am, & fœdus Romanorum sub Iulio Cesare, cum in  
 Gallijs belligeraret, receperant, fuit quidam ex plebe,  
 homo temerarius, & perfrictæ frontis nomine Mario  
 cus. Hic sese inferere fortunæ, ac prouocare Romana  
 arma, simulatione numinis, ausus fuit. Iamq; adsertor  
 Galliarum, & Deus (nomen id sibi indiderat) concis  
 tis octo millibus hominum, proximos Heduorum pas  
 gos ad se trahebat. Sed missis à Vitellio Cesare cohorti  
 bus, fanatica multitudo dissecta est. Captus in eo præ  
 lio Maricus, ac feris obiectus est. Verum quia non stat  
 tim laniabatur impostor, stolidum uulgus inuiolabi  
 lem credidit, donec Vitellio inspectante interfectus est  
 anno Christi 51. Ita Deitatis opinionem cum uita misera  
 re finiuit.

Caput XIII.

DE VOCCIONE REGE

Noricorum.

**N**oricum à Norico Alemanni Herculis regis Ger  
 maniaë Magnæ, nomen accepisse certum est. In  
 cipit autem Noricum ab Oëno fluuio, protenditurq;  
 ad Oriente m uersus Pannoniam superiorem. A meridie  
 terminatur Alpibus Noricis, à Septentrione Dan  
 nubio.



nubio. Occasum uersus hodie Noricum inhabitant Boij. Tempore Iulij Cesaris paulo ante natum Christum seruatorem nostrum, regem Noricorum fuisse reperimus Voccionem, qui Cesari contra Pompeium in bello ciuili trecentos Equites in auxilium misit. Cuius sororem duxit Ariouistus, rex Germaniæ Magnæ. Voccione mortuo, successit Critosirus ultimus Noricorum rex. Postea enim Noricum in Romanorum Prouinciam redactum est. Horum regum frequens in antiquorum fastis memoria reperitur.

## Caput. XV.

## DE ANACHARSI SCYTHA.

**A** Nacharsis è Sacarum genere Scytha, Gnuri ex Græca coniuge filius fuit, tempore Solonis uixit. Hic in Græciam sapientiæ cupiditate peregrinatus, perpetuam sibi laudem comparauit, gentile quoddam præ se ferens insigne, ingenitam iusticiam, facilitatem, lenitatemq; dum uixit redolebat. Quippe ut Strabo scripsit, Scythæ sanctissimi omnium fuere uiri, talesq; quales ab Homero describuntur. Fuit Anacharsis homo audax, et constans in dicendo, adeo, ut qui eius constantiam imitarentur, Scythicum dicendi genus imitati dicerentur. Athenis operam dedit philosophiæ olympiade 4<sup>a</sup>. ab V. C. anno 161. ubi auro se nihil egere ad Cresum scripsit, satisq; sibi esse, modo ad Scythas melior

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

atq; doctior redeat. Qui cum domum redisset, patri  
 asq; leges inmutare uellet, in uenatu à fratre sagitta per  
 cussus interiit. Moricus dixisse fertur, se sermonis &  
 philosophiæ gratia ex Græcia seruatum, per inuidiam  
 autem in patria periisse. Anacharsis dictum fuisse me-  
 moratur, Vitem uuas tres ferre, primam uoluptatis, se-  
 cundam ebrietatis, terciam mæroris. Rogatus aliquan-  
 do quo pacto quis abstemius fieret, Si turpes (inquit)  
 ebriosorum motus sibi ante oculos ponat. Anacharsis  
 moderatione, prudentia, ingenijq; prestantia inter se-  
 ptem sapientes annumerari meruit, folles, Anchoram,  
 rotamq; figuralem inuenit.

### Caput XVI.

#### DE ZAMOLXI PHILOSOPHO.

**Z**amolxis Philosophus è Getarum gente genitus  
 Pythagoræ seruator fuit, à quo diuinarum rerum  
 cognitionē non mediocrem didicit. Hic ad Ægyptios  
 profectus est, ubi plurima suis artibus addidit. Posteaq;  
 autem in patriam reuersus esset, in summo honore  
 apud suos habitus, auguria, prodigia, somnia præfagi-  
 uisse ferunt. Proinde rex Getarum eundem ulcro ut  
 optimum diuinæ uoluntatis interpretem sibi in regni  
 societatem adsciuit, atq; in primis peculiaris Dei sacra-  
 dotem constituit. Quare uulgo pro Deo quasi habitus,  
 speluncam subterraneam, ac alijs inuiam subiuit, nemi-  
 ni



ni præterq̄ regi, regisq̄ ministris colloquendi potestatem fecit. Ibi deorum oracula edidit, atq̄ interpretatus est, unde eidem Getæ publicè sacrificare solebant. Vixit Zamolxis ante aduentu Christi anno 597. Ab hoc Zamolxi usq̄ ad tempora Tiberij Cæsaris mos ille apud Getarum reges perdurauit, ut semper in rebus agendis sibi philosophos adiungerent, nihilq̄ in profanis, aut sacris rebus absq̄ sapientum, & philosophorum consilijs agebant, Quo honore Deceneas philosophus sub Augusto apud Getas functus est.

## Caput XVII.

## DE COTISONE REGE DACORUM &amp; GETARUM.

**D**Vm Cæsar Augustus Iulij auunculi sui necem vindicare summa vi conatur, armis ciuilibus totus orbis concussus est. Nam Daci, qui & Getæ atq̄ Gothi dicuntur transdanubianus populus, montibus inherens, cæteriq̄ Germaniæ Magnæ populi Romanos dissidentes obruere armis parabant. Quo tempore DACORUM & GETARUM rex erat Cotiso. Daci igitur quoties Danubius gelu constiterat, ripasq̄ iunxerat, decurrere, atq̄ uicinas Romanorum prouincias depopulari solebant. Cōtra hos Augustus quinquaginta millia hominum duce Lentulo misit, sed Dacos Danubij ripa uix prohibere potuit. Tandem eorum impetus repressit  
Lentulus,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Lentulus, ultra ulteriorem ripam pepulit, citra praesidia  
constituit. Quo bello multa millia hominum cum tria-  
bus ducibus Dacorum trucidata sunt, Sicuti & Horatius  
ad Mecenamem scribit, inquit,

Mitte ciuiles super urbe curas,  
Occidit Daci Cotisonis agmen,  
Moedus infestus sibi luctuosus

Disidet armis.

Fuerunt Daci bellicosi homines, Romanis fortiter  
restiterunt, denique & opibus ceterorum Germanorum  
freti se erexerunt. Sic Dacia non uicta, sed submota, &  
pilata est. Coactus deinde Augustus Cotisoni regi sua  
liam filiam (ut facilius Germani noua affinitate conti-  
nerentur) despondit, sibi quoque inuicem filiam regis in  
matrimonium petijt.

### Caput XVIII.

#### DE ARMINIO CHERV- scorum duce.

**A**Rminius Segimeri Cheruscorum (qui hodie  
in Westphalia sunt) gentis principis filius fuit, iuue-  
nis nobilis genere, & animo, manu fortis, sensu celer,  
qui ardorem animi uultu, oculisque praeferebat. Romae  
nae militiae aliquandiu comes, qui ob id ciuitatis Romae  
ius, equaestremque gradum consequutus fuerat. Verum  
reuersus in patriam, libertatis uindicem se exhibuit, Hoc  
tempore



tempore Romanis omniū post Punica, grauissimum  
 bellum fuit, quod Illyricum dicebatur, & illud per quin-  
 decim legiones Augustus per legatos gessit. Sub idem  
 tempus dum hæc in Illyrico geruntur, & Tiberius Dru-  
 sus apud Mogunciacum ex equo lapsus mortuus esset,  
 Germaniæ Magnæ magis uictæ, quàm domitæ, Quin-  
 tilius Varus ab Augusto præficitur. Verum sicuti Ger-  
 mani leta bello gens, sub Druso mores Romanorum  
 magis, quàm arma susceperant, ita Quintilij Vari libidi-  
 nem, atque superbiam odisse ceperunt. Primum igitur  
 Cherusci Arminio duce clanculum contra Romanos  
 coniurant. Segestes socer Arminij Varum frustra de-  
 tecta illa coniuratione comonnet. Nam Varus fretus  
 uiribus, & multitudine militum, admonitionem con-  
 temnit: suspectos coniurationis ad tribunal citat. Che-  
 rusci Varum nil tale metuentem armati obruunt, un-  
 dique Romana castra inuadunt, opprimunt, resistentes  
 trucidant, tres legiones fundunt, cædunt: precipue au-  
 tem in caussarum Patronos sæuiunt, alijs oculos eru-  
 unt, alijs manus amputant, alijs linguas præcidunt, cas-  
 pita occisorum prefixa hastis ad uallum Arminius ad-  
 moueri iubet. Vnius caput, rescisa prius lingua, Ger-  
 manus in manu tenens, inquit, uipera, sibilare desiste.  
 Signa, & Aquilæ Romanorum in hostium manus uer-  
 nere, Vari corpus semiustum lacerauerat hostium feris-  
 tas, quod tandem militum pietas humi abdiderat, effol-  
 sum est, caput abscisum, latumque ad Maroboduum, &

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

ab eo ad Augustum missum, gentilicij tandem tumuli sepultura honoratū est. Contigit hæc clades in Vuestphalia, in saltu Teutoburgensi, trans Rhenum inter Luppiam, & Amissiam amnes, ante diem quartum Nonas Sextiles, anno ante Christum natum decimo nono: quem diem decreto Pontificum inter atros refferri placuit, Hanc cladem Augustus tam grauitè tulit, ut sæpe caput parieti collidens, clamaret, o Quintili rede de legiones. Qua clade factum est, ut Imperium, quod diu litore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret, Nulla Romanis in externis gentibus clades atrocior fuit, Cæterum Arminius abscedentibus Romanis, Principatum solus tenuit, sed libertatem popularium semper aduersam habuit, Petitus igitur tandem armis, bello non uictus, sed dolo propinquorum cecidit. Hinc illud uerum esse liquet, quod dicitur. Difficilius esse prouincias obtinere, q̄s facere. Viribus parantur, iure retinentur, superbia amittuntur. Liberator haud dubie Germaniæ Magnæ extitisset, si per fata licuisset. Septem & triginta annos uitæ, duodecim potentiaæ expleuit.

Vxorem habuit Arminius Thosveldam, quæ des inde sub Tiberio Cesare, una cum filio Thumelico à Romanis in bello capta fuit.

Arminium nostra ætas Herman-  
num, id est, exercitus ducem,  
& uirum militiaæ as-  
ptum uocat.



## Caput XIX.

## DE MOESIS, SIVE MISIIS

Germaniæ populis.

**M**Oëſia superior Boſnam, & Seruiam prouincias continet. Moëſi, qui ex Gothiſ nati ſunt, Thracum lingua utuntur, ab Oriente, & Sao flumine Pannonias excipiunt, inde cum Danubio ad Pontum Euxinum, & conſinia Aſiæ procurunt. Romani finitiſ bellis ciuilibus ſub Auguſto, aduerſus exteras gentes arma uerterunt. Ad Septentrionem igitur cōuerſi Noricos, Illyricos, Dalmatas, & cum hiſ Myſiſ oppugnant. Myſiſ autem q̄ feri, q̄ truces fuerint, horribile dictu eſt. Contra hoſ Romanuſ exercituſ profectuſ, cum ex utraq; parte, acie ordinata, ad pugnam ſtarent, Myſiorum ducum unuſ progreditur, & ante aciem poſtulatō ſilentio, Qui uoſ, inquit, eſtiſ? Reſpoſuſ inuicem Romani gentium domini. Et illi, ita, inquit fiat, ſi noſ uiceritiſ. Et ſtatim hoc dicto, ante aciem inmolato equo concepere uotum, ut ceſorum extiſ & liſtarent, & ueſcerentur. Deoſ hanc arrogantiã audire crediderunt Romani, nam tubam eorum Myſiſ ſuſtinere non potuerunt, unde à

M. Craſſo uicti ſunt.

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput XX.

## DE MAROBODVO.

**M**arobodus, siue Marobodus Sueuorum Marcomannorum, qui tum in Boiemia, Lusacia, & finitimis regionibus trans Albim habitabāt, rex, à puericia Romæ uersatus est, ubi ab Augusto Cæsare beneficijs multis ornatus, reuersus in patriam magnum adeptus est potentatum. Fuit autem Marobodus genere nobilis, corpore præualens, animo ferox, natione magis, quæ ratione barbarus. Non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, sed ex uoluntate parentum constantem inter suos occupauit principatum. Occupatis porro quibusdam locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris sui, sibi subiecit. Cum omnibus suis subditis Sueuis sub Tiberio Cæsare Romanis federatus fuit. Bubienum caput Boiemiæ Marobodum à se cognominauit, quam nunc Pragam dicimus, ubi & regiam suam perpetuo habuit. Tiberius Cæsar eundem Romam per blandicias, ac promissa denuo traxit. Cum autem in patriam rediret Catualda Marcomannus contra eundem conspirat. Marobodus undique desertus, tutam, & honoratam in Italia seipsum à Tiberio impetrauit, Rauennæ habitauit, ut si quando Sueui insolescerēt, quasi rediturus in regnum, ostentabatur. Sed non excelsit Italia per duodeuiginti annos, consenuitque multum inminuta claritate ob nimiam



miam uiuendi cupiditatem. Tandem quasi exul inglorius moritur. Vernaculum huius regis nomen *Merobod*, seu *Marbod* fuit, quod equinum corpus significat, cuius robur, aut magnitudinem referre uidebatur. Magnum exemplum fortunę in hoc rege habes, ut qui domi fortunatus, in aliena terra miser perire coactus fuit.

## Caput XXI.

## DE GRATO MILITE

Germano.

**N**on est ulla gens alia, quę armorum gloria tam superba, atq; auida fuit, atq; Germanorum. Hęc enim patrio solon unq; cōtenti, ad remotissimas orbis prouincias militatum abiere. Porro in bellicis rebus adeo præcelluerunt, ut Ro. Imperatores & ante illos quoq; Asię reges ipsos stipendio conductos in militiam ascuerint, corporis custodes adhibuerint, & sine Germanorum auxilio nullum ferè prosperum confecerint bellum. Legatis etiam Germanorum id honoris in Senatu Romę datum est, quod uix alijs contigisse legimus. Multi deniq; Germanorum ob uirtutum merita, & fidei constantiam iura ciuitatis acquisierunt. Sub Caligula Ro. Imperatore quarto stipendia fecit Germanus quidam nomine Gratus. Occiso Caligula Senatus de afferenda libertate, biduo cogitabat. Claudius patruus Caligulę quinquagenarius timore percussus, in

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
tra uela aulae se abdidit. Gratus forte discurrens, ante  
maduerfis pedibus, quis nam esset rogar, Claudius ad  
genua Grati accidens, sibi parcendum orat, uitamq;  
poscit. Tunc Gratus subridēs circumstantibus, ait, iste  
est Germanus, cum Imperatorem salutemus. Confes-  
sum illum ad milites alios frementes adhuc perduxit.  
Ab his in castra ductus minore spe, q̄ fiducia uitae.  
Hunc igitur Gratus cum uideret animo consternatum,  
dexteram ei porrigens, his uerbis cōsolatus est, & hor-  
tatus, Noli de salute tua meticulosus esse, forti, magno,  
altoq; sis animo, ut Imperatorem decet, ac potius Im-  
perium cogitato: perge nunc, & maiorum tuorum res  
cipe solium. Claudius Cæsar receptus, primus omnium  
Imp̄. fuit, qui fidem militum præmio, Grati beneficia  
memor, emerit.

Caput XXII.

DE TASSILONE DVCE  
Boiorum,

**T**Assilo, siue Theffalonus Vtilonis & Hiltrudæ du-  
cum Boiorum filius, natus est anno Christi 741.  
Nactus annum duodecimum ab Vtilone patre in au-  
lam Pipini regis Francorum auunculi sui mittitur. Vbi  
duodecim annos uersatus est. Certior factus de agritu-  
dine parentis, nō impetrato com meatu, aut uen a clam  
se ex Gallia subducit, domum properat, mortuo patre  
ducatum



ducatum suscepit, princeps potentissimus, multorum  
 Monasteriorum fundator, & locupletator munificen-  
 tissimus fuit. Vxorem duxit Lytopirgam Desiderij  
 Longobardorum regis filiam. Non diu post Carolus  
 Magnus, iussu pontificis, Desiderium regem bello uin-  
 cit, captiuumq; secum abducit. Lytopirga Tassilonis  
 uxor, mulier imperiosa, & impotens sui, sibi posse ul-  
 ticiparentem opibus mariti persuadet. Illecebris igitur  
 uxoris incitatus Tassilo rebellat. Carolus Vuormaciae  
 concilium celebrat, Tassilo non solum non uenit, sed  
 ne responso quidem regem dignatus est, sese regem  
 nominat, filiumq; suum Theodonē consortem regni  
 declarat. Carolus iam non uerbis, sed ferro opus esse ra-  
 tus, tribus exercitibus Boiariam intrat. Tassilo undiq;  
 hoste cinctis, cum uideret Boios magis Carolo fauere,  
 & pugnam detrectare, ab omnibus desertus, armis ab-  
 iectis, ad Carolum in castra supplex uenit, se peccasse  
 confitetur, ueniam petit. Carolus quod Tassilonem  
 delicti poeniteret, gratiam facit, eidem Boiariam reddit.  
 Tassilo Reginoburgium in regiam suam redijt, solu-  
 tusq; metu, & periculo liberatus, rursus contra Caro-  
 lum se armat. Carolus in tempore certior factus, concis-  
 lium prope Ingelheimium cogit, Nemo non parer,  
 die dicta frequentes coeunt. Illuc quoq; Tassilo profis-  
 ciscitur. Quem etiam Lytopirga subsequitur. Presto  
 fuit & Boiorum Legatio. Posteaq; consedere status,  
 Boiorum Legati admissi dicere incipiunt. Causam  
 malorum

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

malorum omnium esse foemina Tassilonis coniugem dicunt, cuius suasu Hunnos, & Auares infideles populos in societatem Tassilo receperat, aduersus Christianos concitabat. Haec ubi dicta sunt, & Tassilo ire in facias non potuit, ex codice lex recitata est, qua fidem regi non seruare, cum hostibus foedus aduersus regem inire, capitale erat. Secundum legem itaq; Salicam, ex ueteri instituto Tassilo crimine lesae Maiestatis reus peractus, capitali supplicio condemnatur, Boiaria regi adjudicatur. Vbi haec sententia renunciata est. Tassilo ad genua Caroli accidit. Carolus eundem tolli iubet, rogatq; quid nam facturus sit, si uita donetur. Ille se in contubernio Monachorum omnem aetatem acturum, scelera sua, atq; crimina deprecaturum. Carolus igitur ipsum tonderi more Monachorum iubet, in Monasterium Laureacense ( Laurisshaim ) quod ipse fundauerat, haud procul a Vuormacia, relegat. Theodo filius Tassilonis sacris iniciatur. Vxor Lyco-pirga in sacratarum foeminarum cetu uitam degere iussa est. Pauci Boiorum, qui cum Tassilone senserant, in exilium acti sunt. Carolus totam Boiariam occupat, regnum post hac esse instituit. Vixit Tassilo religiose per aliquot annos, poenitentiam agens, deinde cecus ex senio factus, noctu Angeli e caelo missi manu in Ecclesia Cenobij ad singula altaria circumduci, ab Abbate loci ( sicuti traditur ) uisus non semelest. Mortuus tandem anno Christi 787. tanq; Diuus cultus, multa ad tumultum



ad tumulum edidit miracula. In eius sarcophago tale  
 Epithaphium inculptum apud Lauris haim legitur.  
 Tassilo dux primū, post rex Monachus sed ad imum,  
 Conditur hac fouea, quem pie Christe bea.  
 Idibus in ternis decefferat isto Decembris.

Caput XXIII.  
 DE POPIELO IUNIORE  
 duce Poloniae.

Circa annum domini 823, Popielus senior Poloniae  
 Princeps, patri, auoque dissimilis principatum ex  
 consensu procerum suscepit. Cum iam per annos pau-  
 cos regnasset, nihil praecclare gessisset, in morbum inci-  
 dit, quo etiam, extinctus est. Hic uiuus homo impius,  
 sibi ipsi, suisque non semel murium deuotionem im-  
 praecari solitus fuit. Quo mortuo succedit filius Popie-  
 lus iunior. Qui cum ad res agendas omnino ineptus es-  
 set, patruum eius, uxorem eidem dant elegantem puellam.  
 Haec autem cum auara, & ambiciosa esset mulier, effe-  
 cit, ut quibus uicijs antea maritus caruisset, uxoris con-  
 suetudine, & blandicijs ea sibi adiungeret. Nam auarior  
 factus, honores uendebat, principatumque sibi stabilire  
 Tyrannide incepit. Obstabant hinc exopto patruum eius.  
 Vxor ut hos de medio tolleret, persuasit uiro, ut lecto,  
 quasi aeger decumbens, patruos ad se uocaret. Qui cum  
 uenissent, aegrotus, egregius simulator, quasi iam mo-  
 E ribundus,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

ribundus, in signum amoris medicatum poculum, patris truis prægustare se simulans, porrigit. Quo epoto discedunt. Venenum præcordia occupat, omnes cum maximo cruciatu cadunt, & exanimantur. Ibi femina trux insidiator illos vitæ mariti, iusta igitur deorum uindicta percussos, repente extinctos, clamat; nec honore aliquo dignos iudicans, omnes publice insepultos abijcit. Sed non manent inulta scelera. Nam ex cadaveribus putrefactis enati mures inusitatae magnitudinis, impium parricidam cum scelerata uxore, atque liberis deuorauerunt. Ita non cassè ceciderunt patris eius impræcaciones. Magnopere debent metuere filij, & præcipue cauere ne parentibus ad impræcandum ansam præberant. Cuiusmodi horrendum exemplum apud D. Augustinum legimus, de decem fratribus, qui maledictio matris, horribiliter tremore membrorum omnium concussi sunt; & spectaculum toti orbi Romano grauissimæ penæ impietatis erga matrem exhibuere.

### Caput XXIII.

#### DE SENTENTIA LEONIS IX.

Pont. Max. natione Alemanni super reliquis S. Dionysij Areopagitæ.

**V**erum est S. Dionysium Areopagitam Parrhisij ob Christi fidem sub Domiciano Cæsare anno Christi 91. martyrio affectum, ac ibidem sepultum fuisse, id quod



id quod nemo negat. Sed quomodo corpus eius Ra-  
 tiſponam translatum ſit, placuit hic annotare. Carolo  
 manni regis Italię, & Boiarię filius Arnulphus Ro. Im-  
 perator anno Chriſti 890. lectus, & ab omnibus Impe-  
 rij ſtatibus receptus eſt. Sua ſorte contentus Arnul-  
 phus, quę ei præter ſpem oblata erat, ipſam uel Germa-  
 niam maiorem, q̄ ut ab uno comede regatur cogi-  
 tans, Franciam Occidentalem fidei, tutelęq; Ottonis  
 committit, addit, & Aquitaniam. Otto quo uiciſſim  
 Arnulpho gratificaretur, ſacra Gallię peculiaria clam à  
 quodam ſurrepta, Arnulpho tradit. Nempe Dionyſij  
 Areopagite corpus, librum auratum, atq; gemmatum,  
 cum alijs. Quę pietatis monumenta Arnulphus Regio-  
 noburgij in templo Diui Haimerami condidit, ubi ad-  
 huc monſtrantur, religioſe coluntur. Dies quibus illa  
 religionis pignora ex Gallia ablata, & in Boiariã trans-  
 lata ſunt, feſtos Boij habent, & celebrant. Seruantur in  
 cõtubernio D. Haimerami, lateres tres, ſiue ſaxa in qui-  
 bus hæc uerba Romanis literis inſculpta leguntur.

In primo.

EMERAMVS AQVITANVS, ET DI-  
 ONISIVS AREOPAGITA HIC RE-  
 QUIESCUNT, SVB ARNVLPHO IM-  
 PERATORE, ET OTTONE REGE  
 FRANCIÆ.

In altero.

SVB EVBVLONE ABBATE MONA-  
 E ij STERII

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
STERII S. DIONYSII GISALBER  
TVS FVRATVS EST.

In tercio.

QVINTO NONAS IVLII FVRATVS  
EST, HVC VENIT PRIDIE NONAS  
DECEMBRIS, TEMPORE TVTO  
NIS EPISCOPI.

Cum uero inter Gallos & Boios magna controuer  
sia, per multos annos, nempe 160. fuisset, uterq; popu  
lus sibi praesentiam S. Dionysij persuaderet, contigit ut  
Leo 9. Pont. Max. natione Alemannus cum Hainrico  
Rom. Imp. Reginoburgium ueniret, eamq; litem diris  
meret. Pontifex enim in re praesenti, scrinia, & monus  
menta uniuersa templi S. Haimerami perscrutatus, sens  
tenciam dixit, tantum celitem e Gallia furto sublatum,  
Arnulpho Imperatori traditum, in Boiaria Reginobur  
gij situm esse pronunciat, Gallos nisi mentiri desinant,  
deuouet. Diploma Pontificis super ea re D. Haimeras  
mi Mystis datum, adhuc ostenditur, Acta sunt haec an  
no domini 1052.

Caput XXV.

DE ALBERTO COMITE  
Bambergensi.

**A**lbertus, qui & Adelbertus nobilissimus Franco  
rum Bamberge Comes, contra Conradum prin  
cipem



cipem Hafsiaë, & Vuederauiæ copias contrahit, atq; ex  
 Bamberga, anteq̃ ille vires suas collegerat, in Hafsiam  
 contendit, eundem imparatum occupat, uulneribusq;   
 multis confoffum neci dedit, tertio Calendas Martij.  
 Quæ res Cæfari Ludouico (in quo Caroli Magni  
 ftirps defecit) propter pacem publicam fractam, uehe-  
 menter displicebat, indignam necem Conradi ulturus  
 Albertum bello profequebatur. Nemo prorsus prin-  
 cipum potuit hanc litem inter tantos uiros sedare. Al-  
 bertus Cæfari rebellis factus Tribuariam uocatus ueni-  
 re recusauit. Ludouicus Albertum in Aldenburg arce  
 Bambergensi obfedit. Cum uero ad oppugnandum  
 arcem locus difficilis uideretur, res dolo agi cepta est,  
 Cuius sceleris Hatto (qui ab Ænea Syluio Otto dicitur)  
 Archiepiscopus Moguntinus homo uafus, & solers  
 artifex inuentus est. Nam ad Cæfarem dixiffe scribunt,  
 desine Cæfar, ego te securum meis sollicitudinibus red-  
 dam. Ego, ad te ille ut ueniat, prouidebo, tu, ne redeat,  
 curato. Hic igitur ad Albertum profectus, litis arbi-  
 trum se fore dixit, rogauitq; ad Imperatorem in castra  
 descenderet, quia uel ueniam ei impetraret, uel in arcem  
 incolumem reduceret. Credidit Albertus & accepta iu-  
 ris iurandi religionem Hattonem sequitur. Vix arcem  
 egressi ambo, Hatto uereor (inquit) ne diu apud Im-  
 peratorem morari oporteat, utilius foret consilium,  
 prius sumpsisse cibum Laudauit Albertus uerba præ-  
 sulis, dicens, reuertamur domine mi, & ne ieiunij maces

ILLVSTRIVM GERMANIAE

ratione tabescas, cibo saltem paululum te recreato.  
 Conniuens itaq; eius consilij Hatto, Comitis dexteram tenens in arcem redijt. Haud mora cibus sumitur, atq; eadem die ad regem properatur. Exoritur clamor in castris, eo quod Albertus ad regem uenisset. Rex proceres in iudicio residere statim præcipit. Quibus ait, iam fere septennio Albertus quantas strages dedit, quas turbas in Imperio egit, uos ignorare non debetis. Vestram igitur sententiam expectamus. Albertus omnium decreto maiestatis reus adiudicatur, captus abducitur. Verum cum uinctus traheretur ad mortem, Hattonem intuitus, periurij, inquit, reus eris, si me necem incurrere sinis. Respondet parum religiosus pontifex, se fidei satisfacisse, qui semel manu reduxisset in columem, cum ad prandium introiuit, bis reducere non promississe. Tunc Albertus aduenisse dolens, & Hattonis dolum tarde intellexisse, suspirans, infelix gladio, in propria arce Tariffa (hodie Cœnobium est proxime **Hasfurt** Germanis **Tariff** dicitur) obruncatus est, & ibidem sepultus, quinto Idus Septembris, Anno salutis 905. possessiones eius in fiscum redactæ sunt, & quibus postea Bambergensis Ecclesia ditata dicitur. Iudicent (inquit Otto Frisingensis) de hoc sacerdotis facto alij quid uelint, & tanq; pro regni utilitate commissum tueantur, ego omnino nullius emolumentum gratia, non solum quemlibet Christianum fraude circumuenire, sed etiam corde in causa capitali loqui non debuisse



debuiffe arbitror Episcopum, hæc ille. Egregius certe pastor fuit Hatto, qui aliud corde, aliud ore ferre potuit. Pessimum equidem genus hominum, qui dissimulando propositum, & scelus excogitatum celare possunt. Sic enim deinde eos, quos oderint, blandis colloquijs demulcent, atq; improvisi crudelissime ledunt.

## Caput XXVI.

## DE HATTONI EPISCOPO

Moguntino.

**Q**UAM primum Conradus Francorum dux, rex Romanorum appellatus esset, statim quosdam Imperij principes rebelles habuit, inter quos erat etiam Hainricus Saxoniae dux (postea Imperator Auceps cognomento dictus est) Princeps potentissimus fuit. Cuius potentia cum Conrado suspecta nimium esset, consilium Hattonis Episcopi Moguntini implorat. Hatto auream torquem fabricari fecit, quem collo conuiuantis Hainrici ducis, sub honoris pretextu iniiceret, eundemq; ita caperet. Interea Episcopus officinam Aurifabri, torquem inspecturus ingreditur, uiso torque ingemuisse fretur. Gemitus illius causam cum Aurifaber requireret, respondit, quia optimi, & charissimi sibi uiri Hainrici ducis sanguine, torques madida fieri deberet. Aurifaber audita silentio textit, rem ad Hainricum detulit. Hainricus uocato ad se Legato Pontificis, qui  
iam.

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

iam pridem uenerat inuitandi eum gratia, ad illum ait,  
 uade dicas Hattoni, quia durius collum non gerit Hain-  
 ricus, q̄ Albertus Bambergensis, & quia melius rati sum-  
 mus domi sedere, & de seruiicio erga Episcopum tracta-  
 re, q̄ comitatus nostri multitudine eum grauare, ueni-  
 re hoc tempore recusamus. Statim Hainricus omnia,  
 quae iuris ipsius Episcopi erant in Saxonia, & Thuringia  
 occupauit. Hatto uidens suis fraudibus finem im-  
 positum, nimia tristitia, & morbo pariter, non post  
 multos dies confectus obiit. Fuerunt qui dicerent ful-  
 mine tactum de caelo, tertia die postea defecisse, anno  
 domini 913. Scribunt alij eundem & corpore & anima  
 a demonibus in Aetnam flammiuomam Siciliae mon-  
 tem abreptum esse cum tali clamore

Sic peccata lues, atq; ruendo rues,

### Caput XXVII.

#### DE HEROLDO ARCHIEPI- scopo Salisburgensi.

**H**eroldus comes Palatinus a Scheurn, eligitur Ar-  
 chiepiscopus Salisburgensis anno Christi 939.  
 Hic ob Archiepiscopatus dignitatem cum Gerardo  
 Episcopo Laureacensi disceptat. Quae controversia ad  
 Pontificem summum Romam delata est. Agapetus  
 igitur Pont. Max. Laureacensem, Bathauensemq; Epi-  
 scopum a iurisdictione Salisburgensis soluit, Salisbur-  
 gensi



genſi ob certas rationes præferendum cenſet. Gerardo  
 mandat, ut Pannonias, Auaros, Morauos, Venedos  
 in rebus diuinis procuret, Heroldo & ſocijs eius, niſi pa-  
 reant, ſacrificijs interdicat. Gerardum, eius ſucceſſores  
 Laureacenſes apellat Archimyltas: eum Ottoni regi,  
 Hainricho Boiorum duci, ut fautores eidem aduerſus  
 Heroldum adſint, commendat. Heroldus ſibi iniuriam  
 illatam ratus, cum Conrado duce Boiorum, ab Otto-  
 ne proſcripto, foedus inſit, eundem in amicitiam ad-  
 ſciſcit, templa ſpoliat, pecunias Vgris hoſtibus religio-  
 nis Chriſtianæ diſtribuit. Vgros, ſiue Vngaros aduer-  
 ſus Boios concitat, prædam ingentem oſtendit. Rex  
 Vgrorum Bultzko cum quinque exercitiſus, quibus  
 ipſe, & Tetrarchæ eius quatuor, Lelius, Sura, Toxus, &  
 Schaba præerant, ducentibus Conrado duce, et Herol-  
 do regnum Boiariæ inuadit. Vrbes clauduntur, Vnga-  
 ri Monafteria petunt, diripiunt, incendunt, ſacerdotes,  
 & Monachos in ignem abiiciunt, uiros, ſceminas, par-  
 uulos ueluti pecora abigunt. Ab Ebersperg, Fruxinoque  
 repulſi, Damafiam, Rathonis Monafterium, Thier-  
 hauptum, reliqua Boiariæ templa euertunt, Danubium  
 Rhenumque tranſeunt, Lotharingiam depopulantur.  
 Omnia cede, incendijs, & luctu complent. Interea  
 Hainricus dux Boiorum Episcopum perfidiæ reum,  
 apud Muldorffium capit, eidemque oculos exculpius  
 bet, anno Chriſti 954. Pontifex etiam Max. eundem  
 diſis deuouerat, ſeptimo Calendas Maij. Quare à Ca-  
 F nonicis

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
nonicis ab Episcopatu depositus est. Moritur Heroldus  
anno salutis 958. in sacello S. Martini, ædis D. Ruperti,  
sepultus est Salisburgi.

Caput XXVIII.  
DE LEHELE SCYTHA.

**C**Vm Vngari sub Ottone primo, exercitu ingenti  
Augustam Rhetiae obsiderent, & Bultzko rex,  
cum quatuor ducibus Schaba, Lehele, Sura, & Toxo  
urbem funditus diruere cogitabat, Christiani fortiter se  
defendunt, coniunctis deinde copijs urbe erumpunt.  
Vbi diluculo copiae Christianorum conuenere, ex omni  
parte Vngros inuadunt, aciem perumpunt, hostes  
circumueniunt, fundunt, sternunt. Nemo euasit, per  
pauci capti, caeteri ad internecionem deleti sunt, nempe  
quarto Idus Augusti anno Christi 955. Bultzko rex,  
eius quatuor reguli Schaba, Lehelis, Sura, & Toxus,  
una cum paucis capti, traditi sunt Eberhardo Boiorum  
Dynastae. Lehel unus ex ducibus, genere Scytha, antequam  
ad mortem traheretur, interrogatus à Conrado prin-  
cipe, cur tam diro animo Christianos insectaretur, ita  
respondisse Lehelem referunt. Humanorum (inquit)  
scelerum sumus ultores, et ad supplicia uestra à Deo edi-  
ti, cum nos Christianos persequi desinimus, tunc à uos-  
tris irato numine, capimur, & obtruncamur. Admira-  
tus hæc Imperator Otto, & princeps, optandae mortis  
potestatem



potestatem obtulerunt. Lehel anteq̄ optaret, tubam, qua in bello usus erat, postulauit. Qua data Conradi caput letali uulnere, ex templo confregit. Præibis (inquiens) ad inferos, & ibi mihi seruias. Credebant enim Scythæ, quoscuq̄ in hac uita occiderent, eorum in altera seruicio esse potituros. Sed quid credendum sit circa hoc facinus, non facile dixerim: placuit tamen insere huic narrationi, cum Scythicum factum temerarium nimis iudicandum sit. Hoc tamen uerum est, quod illi quatuor captiui, ab Eberhardo, duci Boiorū Regis noburgium missi, ante portam Orientalem, quæ Ungariam spectat, patibulo affixi, laqueo necati sunt. Cæteros Eberhardus apud Ebersperg uiuos in fossam abiecit, terraq̄ & luto obruit.

## Caput XXIX.

DE ARNVLPHO DVCE BOIORUM  
cognomento malo.

**A**Rnulphus cognomento Malus, filius fuit Luitpoldi Marchionis Austriae ab Ungaris occisi, post Ludouicum Arnulphi Imperatoris filium, Reginoburgij rex Boiariae à Boijs creatur. Verum cum Imperatorij Romani dignitatem affectaret, atq̄ Conrado Romano Imperatori electo rebellaret, ab eodem ducatu mouetur, in ordinemq̄ redigitur. Quem ducatum tamen Arnulphus mortuo Conrado sub Hainrico Saxone

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Rom. Imp. rursus recuperavit, atq; regio nomine abdicato, ducem Boiorum se scripsit. Qui cum ab Vngaris premeretur, nec unde stipendium militibus daret, haberet, consilio suorum procerum, mortuo aliquo Abbate, coenobium illud alicui primorum in fidem tradebat, qui Monachis satis quidem pro religione uictum & amictum preberet, id uero quod reliquum foret, pro stipendio militari ipse Arnulphus accepit, & expendit. Ferunt eundem in omnes res Ecclesiasticas grassatum, Tyrannide, ac inmanitate admiranda. Nam & Patauiam, atq; alia loca ab antecessoribus suis dotata, spoliavit, & legata illa sacra ad se rapuit. Quo pacto pleraq; Monasteria Boiariae ad summam inopiam, solitudinemq; redigebantur. Quare D. Vlrichus Augustae Rhetiae Episcopus, alijq; pii, ac boni uiri, sacrilegij, impietatisq; Arnulphum aperte coarguunt, ac plane, nisi resipiscat, ceptoq; desistat, die praefinito exiciu denunciant. Et dum Arnulphus huiusmodi minas irridet, subito die praefinito inuitam exhalet animam. Scribunt quidam S. Vdalrichum uaticinatum, Arnulphum non amplius pransurum. Ipse uero cum postero die ad prandium paratum sederet, ludensq; & subsannans Episcopum diceret, mendacem Episcopum, & uatem ineprium, esse. Quo dicto, ira Dei subito in illum irruit. Piscis etenim spina in tracheam arteriam aere attracta, suffocatus dicitur: & Dei ministrum Diabolum eidem in conspectu omnium collum fregisse affirmant. Anno Christi.



no Christi 937. pridie Idus Iulij, Ratisponæq; in templo D. Haimerami humatur, eiusq; sepulchro hoc insculptum distichon legitur.

Viuus pollebam, feci quæcunq; uolebam

En nihilor sub humo, sic erit omnis homo.

Fuit Arnulphus uir magni spiritus, & Imperij audax. Qui si bene monitis obtemperasset, diutius superuixisset. Verum animus pecuniæ nimium audax, ueritatis impatiens, haud facile sibi temperat, maleq; plerunq; non sibi tantum, sed & suis consulit. Hinc uerum est quod dicitur, auariciam omnium malorum officina esse. Fama est cadauer eius, horrendis ac nunq; auditis uociferationibus abreptum, atq; in lacum Schirensensem abiectum esse à Demonibus, nam & lacus hodie nomen retinet, in prouerbiūq; abiit, Germanice (*Der Teuffels Weiher*) dicitur. Hæc tamen Monachorum figmenta sunt, quia Arnulphum honesta morte defunctum esse in publicis fastis Boiorum legitur. Hoc certò constat Arnulphum Episcopos, Sacerdotes, et Monachos, quorum quidam excusso seuerioris religionis iugo populariter uiuere coeperant, sub arctioris disciplinae iugum misisse, clerumq; in Boiaria reformasse. Vnde facile sibi inuidiam conciliauit, ut de eius morte horrenda quædam Monachi fingerent. Vxorem habuit Arnulphus Gerbirgam, filiam Rudolphi, ut opinor D. Conradi fratris, ex qua quatuor liberos suscepit, Eberhardum, Arnulphum, Herman-

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
num, & Iuditham uxorem Hainrici Rixosi ducis Boio-  
rum, filij Hainrici Aucupis Rom. Imp. eius nominis  
primi. Vsq; ad hunc Arnulphum Boiaria per centum,  
& triginta annos reges, & Imperatores habuit, & dedit,  
postea per duces administrari cepta est.

Caput XXX.  
DE IVDITHA FILIA  
Arnulphi Mali.

**A**Rnulpho defuncto frater eius Berchtoldus sic  
dux Boiorum. Qui cū circa annum domini 947.  
ex hac uita sine liberis migrasset, Otto primus Ro. Imp  
perator ducatum Boiariæ fratri suo Hainrico cognom-  
mento rixoso in tutelam committit, ducemq; Boio-  
rum facit, eo quod Iuditham filiam Arnulphi Mali, sor-  
roremq; Comitum Schirensium uxorem haberet. Ar-  
nulphus comes palatinus Schirensis, Arnulphi Mali fi-  
lius, atq; Iudithæ frater, naçta occasione, dum Hainric-  
us Rixosus cum Imperatore militatum abijisset, ducatu-  
m quasi paternam hereditatem recipere meditatur,  
sororem Ratisponæ obsidet, eamq; urbe expugnata, &  
capta cum liberis expellit, ducatum recipit. Sed non diu  
hac uictoria letus, ab Hainrico facile repellitur. Fuit hæc  
Iuditha foemina pulcherrima, ac singularis prudentiæ  
princeps. Monasterium inferius sacratarum foemina-  
rum Ratisponæ extruxit. Vbi & eius sepulchrum hodie  
etiam



etiam ostenditur. Boij eam Geutam, sua lingua, uocant. Auia fuit D. Hainrici secundi eius nominis Rom. Imp. qui Bambergium Episcopium fundauit. Ab hac Iuditha prouerbiu publice manet, cum interroganti de alicuius nomine ironice respondetur, *Geüthnach der alten Herzogin.*

## Caput XXXI.

## DE HATTONE EIVS NOMINIS secundo, Archiepiscopo Moguntino.

**A**B Ottone Romanorum Imperatore secundo, Hatto cognomento Bonosus Fuldensis, Cœnobij abbas, Archiepiscopus Moguntinus eligitur. Habitu quidem satis religiosus, sed moribus à professione sua alienissimus, corde durus, & inhumanus, sensu herbeti, animo subdolo præditus fuit. Hic non procul à Moguncia in monte quodam arcem sibi ædificari curauit, ubi ne pauperes Eleemosinã petaturi, ipsum obseruerent, frequenter habitauit. Monti nomen ab eo Hattenberg etiam hodie manet. Homo fuit supra modum tenax & auarus. Cum igitur maxima fame homines eo tempore premerentur, pauperes, atq; mendicos non paucos in unum locum, quasi stipem eis largiturus, conuocat. Quos omnes in horreo quodam congregatos, igne supposito crudeliter combussit. *Miseri*

ILLVSTRIVM GERMANIAE

feri homines, atq; inopes cum ululabili uoce perstreperent, Hatto eos deridendo subsannauit, dicens, ad suos aulicos, (*Höre/höre/wie pfiffen die Mäuse.*) Ob quod facinus, quia misericordiam non fecerat, misericordiam apud Deum non inuenit. Nam diuina ultione factum est, ut à uilissimis, & minimis bestiolis, non magnis Leonibus, sed paruis muribus uexaretur. Hatto ut murium incursum euitaret, in medio Rheni turrim ædificauit, quo mures peruenturos nunq; putabat. Sed uolente Deo mures per aquam natantes, cumulatim in turrim irruunt, ipsumq; rodentes, toto corpore perimunt. Nomen quoq; eius, & insignia parietibus, & tæpetibus picta, atq; intertexta mordicus dentibus suis deleuerunt. Quæ turris proximè Bingen usq; in hodiernum diem, murium turris, hoc est, (*Der Meiß thur ren*.) uocatur. In Hattonem talis inuectiua publicata esse dicitur.

Parcus, & infoelix, quæ te dementia ludit:

Pauperibus Christi com moda nulla feras.

Cum iudex solum hoc quærulabitur ipse futurus,

Nescis, q; post hæc, te ultio dira premat.

Epithaphium eiusdem.

Pontificem summum Hattonem cerne sepultum,

Quisquis rimandas conspicias in literas.

Antea doctorum pater extiterat Monachorum

Fuldæ Cœnobij. □ □ □ . . . . .

Præfuit Hatto Moguntinæ Ecclesiæ saltē undecim

cim



cim menses, & à muribus deuoratur anno domini 969. sepelitur in templo D. Albani propè alios Episcopos. Simile quiddam contigisse legitur parco, & prædiuiti cuidam homini, qui cum in prandio sederet, repente à muribus circumuallatur. Quem cum rodere incipiunt, à suis in pelagus deportatur: quod tamen nihil profuit, quia mures nauem sequebantur. Postea ad terram reuersus, à muribus rotus dilaceratus est, et comestus. Factum est hoc sub Gregorio septimo Pont. Max. anno domini 1083. Meminerint igitur diuites pauperum, & misericordiam faciant, iuxta illud, Frange esurienti panem tuum, & egenum induc in domum tuam. Præterea. Beatus qui intelligit super egenum, in die malis berabit illum dominus. Optandum utiq; esset omnes Principes, atq; Magnates uiros, aliquando priuatos, pauperesq; fuisse: neq; enim satis miseretur, qui nunq; miser fuit.

Caput XXXII.  
DE ADOLESCENTE  
mutato in asinum.

**M**agicam facultatem plenam altissimus mysterijs ueteres perhibebant. Vnde semper apud illos merito sanctissima scientia habita fuit. Sed ea arte abusi, quidam fecerunt, ut demonum instinctu admiranda plurima contigerint. Neq; enim iudicio Dei permis-

G    sis

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

sis praestigiæ difficiles esse possunt. Legimus enim à dijs  
Gentium, uel potius Demonibus Arcades in lupos  
uersos, & nostro tempore duci Borussiae huiusmodi  
homo in syluis captus adductus est, forma detestabili,  
uultu non absimilis ferae. Hic fatebatur tum, se bis in  
anno ita mutari, atq; cogi impetu quodã naturæ in syl-  
uis inter lupos uersari. Deniq; segetes alio incantationis  
bus transferri posse, poëta testatur. Sed hoc mirandum  
prorsus inter Christianos (qui huiusmodi rebus nulle  
lam fidem adhibere debent) euenire, qd̄ certo factum  
esse, legimus. Nam sub D. Hainricho Rom. Imp. circa  
annum domini 1010. iuuenis quidam Germanus, ma-  
lesicio duarum uetularũ in formam asini mutatus est:  
ita, ut omnibus uidentibus asinus apareret. Quod quis-  
dem impossibile uidetur ijs, qui non intelligunt, per  
missionem diuinam spiritus malignos hominum mirandis  
ludificationibus illudere posse. Sed ita contigisse, in an-  
nales relatum est.

### Caput XXXIII.

#### DE VVILLIGISO EPI- scopo Moguntino.

**H**umilitatis uirum exemplar fuit Vuilligisus Mo-  
guntinus Archiepiscopus. Is natione Saxo, in uilla  
Stroningen, infimæ conditionis patre Hamaxurgo  
natus, ingenio tamen diuino preditus, omni genere  
optimarum



optimarum uirtutum maximè excelluit, homo doctus, & prudentissimus, adeo ut Ottonis secundi Rom. Imp. Archicapellanus fieret. Denicq; ab eodem Imperatore in Moguntinæ sedis fastigium collocatus est anno salutis 976, ubi ut sui generis, & status sepius, atq; facilius reminisceretur, in priuato conclau, ad quod ipse solus clauem habebat, in pariete depingi fecit Rotã, cum hac inscriptione. Vuilligise, memineris, quid sis, & quid ipse olim fueris. Quæ rota postea insigne Archiepiscopatus patui datum, & confirmatum est ab Hainricho secundo claudo Ro. Imp. prefuit Vuilligisus Ecclesiæ 36. fere annis. Obijt anno Christi 1011. De Marsilio Ficino Florentino scribunt, in eius Museo tria capita mortuorum hominum conseruata fuisse, ut uisis capitibus, conditionis humanæ semper memor esse posset.

Caput XXXIII.  
DE VOLBODO.

**I**nter principes uiros claruit tempore Hainrici Rom. Imp. cognomento Claudi, Volbodo uitæ Christianæ insigne exemplar. Hic maternum genus suum ex domo (ut tradunt) clarissimorum Principum Flandriæ duxit. Patrem habuit Gotfridum ducem Montanum, matrem Ioannam filiam Comitis Flandriæ Balduini iunioris. Volbodo cum religioni esset à natura addictus Monachus Stabulaunicus primum factus est.

G ij Postea

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Postea Decanus Ecclesiae Traiectensis in Frisia; Sacerdos Hainrici Augusti, ac regni Cancellarius. Ad postremum Leodiensis Episcopus, Hic tanto ardore precibus suas absoluisse, et orasse dicitur, ut continenti poplilitum flexione grandes genibus obduxerit callos, Frigoris, uigiliae, inediae adeo patiens fuit, ut sepius hyeme nudis pedibus, in templis pernoctaret. Maximus pauperum amator, & fautor, quos subinde necessarijs iuuuit. Vir prorsus antiqua fide, & uirtute, magna eruditione, perspicaci ingenio, ac gygantea (ut ferunt) statura. Inter Hainricum Caesarem, & Heribertum Pontificem Agrippinensem pacem fecit, annoque dehinc salutis 1021. Calendis Maij preciosa morte uitam commutauit. Quem sibi huius seculi principes imitandum proponere deberent, qui neglectis huius mundi diuitijs Christo inseruire uellent. Satius etenim bene uiuendo laudem, & gloriam, quam male agendo diuitias cum ignominia reportare.

### Caput XXXV.

#### DE PROCOPIO HEREMITA.

Circa annum domini 1035. uixit Procopius, natione Boiemus. Parentes eius plurimum solliciti, ut filius Christiana fide imbueretur. Cum autem studia sacrae scripturae nullibi melius, quam apud uiros sacris iniciatos uigerent, puerum collegio sacerdotum in arce Vilssegradensi erudiendum tradiderunt. Postquam autem non



non parum in sacris studijs profecisset, atq; ingenium, moresq; hominis collegio Mystarum approbarentur, dignus iudicatus, qui Collegarum numero ascriberetur. Procopius uero honoris minime cupidus, in sodalicio Breunouienti degere potius, q̄ collegis Vuisegradensibus ascribi elegit. Cum iam aliquandiu in illo sodalicio uixisset, cepit eū amor solitariae uitae. Quare Breunouia relicta speluncam quandam Sasauo flumini incumbentem, laruisq; & lemuribus, atq; spectris nocturnis infamem, sibi habitandam delegit. Quam cum esset ingressus terribiles illae laruarum, et spirituum maiorum formae dilapsae, ob summam pietatem, & innocentiam uitae Procopij, nunq; amplius uisae sunt. Et quia frequens fieret quotidie ad speluncam hominum accessus, frustra solitudinem, fugamq; hominum queri cognouit, unde occultandi sui finē fecit, ac paulo post, suae sectae assecras, sectatoresq; nactus, contubernium contrahens, sacra cum socijs, & munus uigiliarum, precumq; & ieiuniorum obiuit: tametsi in iuuenta nihil agrius, aut molestius, q̄ famem tolerasset. Nam cum ab initio in Breunouia se religioni addixisset, grauius a Praeside eius societatis reprehensus fuit, propterea quod minus q̄ deberet, ieiunasset. Quod peccatum ut satis lueret deductus fuit in agrum, ubi ieiunare propter cibi inopiam, usq; ad horam prestitutam ieiunij cogebatur. Procopius famelicus conspecta arbore coruo, suspiria intimis pectoribus trahit, conqueriturq; de hyemis sterilitate,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

rilitate, quod iam corna esui matura nulla reperire poss-  
 set. Ibitum ( mirabile dictu ) arbor subito & folia in-  
 duit, & fructus ostendit. Quo facto omnium oculos  
 rei & miraculi nouitate in se conuertit, Procopius autē  
 oblatos fructus carpit, comedit, & famam repellit.  
 Ab eo tempore nunq̄; adeo ad ieiunandum coactus,  
 donec successu temporis, & ætatis rabiā orexim con-  
 silio, atq̄; ratione superaret, abstinentiamq̄; deinceps sic  
 coluit, ut illius exemplo alij melius uiuere discerent,  
 Procopius nō solum uiuus, uerum etiam in sepulchro  
 dormiens multa, & preclara edebat miracula. Bretisla-  
 us rex in eius memoriā templum eo loci, ubi sepultus  
 erat, ædificauit, atq̄; Cenobitas sodales addidit, Rara res  
 nostro tempore fieri uidere miracula, cum tamen quos-  
 tidie fiant, nemine obseruante. Miracula plura olim fa-  
 cta sunt ad commendanda eloquia ueritatis diuinæ, ut  
 per dilectos suos, & sanctos maiestatem suam Deus  
 predicaret, qui maiora semper, certiora, clariora miracu-  
 la facere potest. Miraculum hoc Procopij sub diuina  
 prouidentia constitutum, monstruosum uideri  
 potuit, sed Deo impossibile non erat, ad  
 corroborandam fidem piorum, arborē  
 rem quasi iam sterilem, et in hyc̄  
 me contra naturam facere  
 uno momento flores  
 re, & fertilem.



## DE BRVNONE EPISCOPO

Herbipolensi.

**C**VM Hainricus tercius Ro. Imperator, Vngariam  
 cum exercitu à Petro Vngariæ rege uocatus, se-  
 cunda Danubij aqua peteret, Bruno Episcopus Vurtz-  
 burgensis cognatus eius alia naue Imperatorem comi-  
 tabatur. Dumq; uorticofum Barathrum aquarum  
 (Strudel uocant) superaffet, ad saxum eminens al-  
 labitur, in quo saxo atra Æthiopis imago, satis nimis  
 aperte, ferale signum, ibidem consistit, Brunonem ap-  
 pellat. Heus, heus (inquit) Episcope, malus sum geni-  
 us, meus es, & quouis gentium proficiscare meus eris,  
 nihil quidem in presentia agere aduersus te habeo,  
 breui tamen iterum me uidebis. Pestilens spiritus ab  
 Episcopo signo Crucis appetitus, adiuratusq; carminis-  
 bus sacris, sub oculis hominum euauit. Atq; hoc sa-  
 xum adhuc monstrari solet, cui imposita turris lapidea,  
 cognomen aliquandiu (der Teuffels thurn) retin-  
 nuit. Nostra tamen ætate à nautis turris S. Nicolai uo-  
 catur. Cæsar in Bosenburg ad Richlitam uiduam comi-  
 tissam ab Ebersperg diuertit. Vbi cum cenaculū ascen-  
 disse, cum Brunone, & alijs colloquitur, repente tum  
 cõignatio collabatur, Cæsar cum alijs ex alto cecidit. Ex  
 quo casu Bruno Episcopus paucis post diebus extin-  
 guitur, Anno Christi 1045, sexto Cal. Iulij.

Caput

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput XXXVII.

DE S. VVOLFGANGO.

**S.** Vuolfgangus natione Sueuus, de familia Comitum ex Ptullingen oriundus, natus est in Vuelenburg Rhetiae. Mater eius Berthruda Comitissa à Veringen, in Sultzbach sepulta. Fuit S. Vuolfgangus uir magnae sanctitatis, et patrator multorum miraculorum, doctrina supra natalium splendore maxime conspicuus. Is relictis rebus secularibus Monachus primum factus est apud Treuiros, ordinis ( ut Trithemius scribit ) S. Benedicti. Postea cum in Boiariam euocatus esset, usus est hospite Pilegrino Episcopo Bathauienti, qui illum paulo post ad Ratisponensem Ecclesiam tunc uacantem, apud Ottonem Imp. eius nominis primum, promouit, atq; cathedram pontificalem eidem impetrauit anno domini 968. Saepe etiam Piligrinus exclamasse legitur, O foelicem Ecclesiam, quae Deo fauente, hoc donabitur sacerdote. Quo tempore Boariae dux fuit Hainricus huius nominis secundus cognomento rixosus, pater D. Hainrici, is sedem suam Ratisponae habuit, qui S. Vuolfgango admodum familiariter usus est, eiusq; suasu Hainricus dux Reginoburgii ( quae tum sedes omnium principum Boariae erat ) Diuo Paulo templum dedicat, Antistitem, filiam suam Brigittam à S. Vuolfgango Baptistam, fecit, ut pudice, casteq; uiuendi exemplar foret foeminis sacrae superioris,



perioris, inferiorisq; ibidem Monasterijs. Hæ enim excusso pudiciæ freno, populariter tum uiuebant, seq; nescio cuius chori dominas (**Chorfrauen**) nuncupabant. Sanctus Vuolfgangus cum Piligrino Episcopo Bathauensi, ac Laureacensi ad Vngaros profectus est, quinq; millia eorum sacro fonte lultrauit, & in fide Christi instituit. Omnem curam adhibuit, ut labescens religionem restitueret. Cum uero solus obire omnia non posset, patruelem suum Ramuoldum ad se uocauit, præpositum Ecclesiæ S. Emerami constituit, mox & Abbatem fecit. Altare summum in Mallerstorff Monasterio inferioris Boiariæ dedicauit; ubi etiam hodie cultellus ostenditur, quem tum ibi S. Vuolfgangus reliquerat. Cum autem Episcopatu per 26. annos fideliter præfuisset, in domino moritur anno salutis 994. Sepultus est in templo D. Haimerami, multis miraculis clarus post mortem comparuit. Postea anno domini 1047. à summo pontifice, una cum D. Erhardo superum albo assumptus est.

## Caput XXXVIII.

## DE HAINRICHQ QUARTO

Rom. Imperatore.

**H**ainricus Romanorū Imperator Augustus, eius nominis tercius, filium suum cognominem, postea quartum, anno sexto ætatis Cæsarem creauit.

H Mortuo

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Mortuo tercio, summa rerum in Imperio penes matrem Hainnici quarti ex testamento fuit. Quæ res cum quibusdam Episcopis, Principibus, & Ottoni secundo duci Boiorum, displiceret, ex matris potestate nauis præparata abducitur, captiuus per totum annum in Saxonia detinetur ab Episcopo Premensi. Ceteri status Imperij Cæsari ad se uenire detrectanti, regnum abdicandum decernunt, Cæsar uenit, postea Fritislariæ morbo corripitur. Restitutus Bertham sponsam suam reginam salutat, in Ingelheim nuptias facit. Goslariæ Cæsar rursus lecto decumbat, sed paulatim conualefcit. Cum Ludicos oppugnaret aduersus eum conspiratum est: coniurationis princeps Otto dux Boiorum fuit. Otto Heginoni famulo ensẽ tradit, ut Cæsarem e cubiculo prodeuntem trucidaret, sed frustra conatus eius fuit. Cæsar captus illecebris concubinarum, ab re uxorea abhorrebat. Vxorem igitur in Laurishaim ablegat. Persuasus tamen à Pontifice Max. uxorem recipit. Fuit Cæsar in pauperes, & sacerdotes munificentissimus, prudentia ciuili, & militari, pietate denique insignis. Verum ab hostibus suis Saxonibus grauissimè apud Pont. Gregorium septimum accusatur, à quo statim excommunicatus est. Vuelpho Boius noua molitur. Cæsar in Italiam pergit, Romam uenit, ubi toto triduo à Pont. Max. in conspectum admissus non est. Scribunt quidam, cum in templo S. Mariæ in Auentino oraret, à Pontifice quendam subornatum, qui supra trabes Ecclesie



alesia occulte lapides magnos collocaret, & ita aptaret, &  
 ut de alto super orantis Cæsaris caput demitteret, &  
 ipsum contereret. Quod minister tanti sceleris cum fa-  
 cere uellet, iudicio Dei fracta sub trabibus tabula, miser  
 homo cecidit in pavementum, & à lapide magno con-  
 tritus est. Cæsar tandem exceptus à Pontifice omnia in  
 bono statu fore sperat. In Italia aliquot dies commora-  
 tur. Interim Saxones cum legatis Pontificis apud  
 Forchaim Rudolphum Comitem à Rheinfelden, in  
 Burgundiæ ducatu. 10. Cal. Martij regem Romanor-  
 rum elgunt. Diadema capiti Rudolphi circumdant, à  
 Gregorio missum, cui inscriptus erat hic uersiculus.  
**PETRA DEDIT PETRO, PETRVS**  
**DIADEMA RVDOLPHO.** Archiepiscopus  
 Moguntinus Rudolphum inungit. Hainricus Cæsar  
 in Germaniam rediens, per Noricum Reginoburgis-  
 um uenit, cultum Cæsareum, Imperij insignia resumit.  
 Inde Sueuiam petit. Rudolphus collecto exercitu ob-  
 ruere Cæsarem parat. Cæsar eundem multis occisis in  
 fugam uertit. Idus Augusti Anno domini 1078. Quo  
 facto Pontifex Hainricum denuo excommunicat. Cæsar  
 tertia uice Rudolphum in Thuringia uincit. Item quarto  
 apud Ellestram fluium uictus cadit Rudolphus, cui  
 tum dextera, qua fidem Cæsari dederat, amputata est,  
 qui postea anno Christi 1080. interijt. Cæsar in Italiam  
 exercitum ducit, Pontifex ad rebellandum omnes hor-  
 tatur, sed Cæsar Romam uictricibus signis peruenit, ca-

ILLVSTRIVM GERMANIAE

stra ante moenia facit, urbemq; capit post duos annos  
 scilicet 1083. Papa in Angelburgum auffugit. Romani  
 pacem auro à Cæsare emunt. Interim Saxones Her-  
 mannum Lotharingium contra Hainricum regem eli-  
 gunt Eyllebiæ, qui deinde Rex Allij dictus est, quia eo  
 loci magnus Allij prouentus est. Cæsar & Romani alio  
 um Pontificem eligunt, Clementem tertium, qui anno  
 Christi 1084. Paschaliū festo Cæsarem cum Bertha  
 uxore consecrat, Augustos acclamante populo Roma-  
 no appellat. Interim Gregorius Papa Salerni moritur.  
 Hermannus Allij rex excommunicatur. Augustus in  
 Saxoniam abit, Hermannus cum suis fugit. Saxones  
 deditioem faciunt, pacis conditiones ab utriusq; partis  
 amicis dicuntur. Proximè Vurtzburgum non nulla  
 pars Equitum, ab hostibus pecunia corrupti, in Augus-  
 tum arma uertunt, sed nihil effecere. Bertha Augusta  
 tu moritur, in Nemetum urbe sepelitur. Vbi iusta  
 uxori fecisset Imperator Agrippinam petit, Adelhais-  
 dim uxorem ducit, nuptias regio apparatu facit. Deino  
 de Saxoniam intrat, ubi ab Eckberto perfido retro pes-  
 dem ferre cogitur. Itali rebellant, Augustus cum exerci-  
 tu Italiam intrat, hostes uincit. In Germania ferè omnes  
 hostes Hainrici misere pereunt. Augustus septimo  
 postq; anno in Italiam migrarat, relicto Conrado filio,  
 maiore natu in Italia, ipse in Boiariam redit, per tres &  
 uiginti annos continenter ciuili bello laborauit. Hain-  
 ricus Mogunciam abit. Quo tempore ad statum pris-  
 tine



sting Maiestatis rediisse uidebatur, nisi filius Conradus, emulus paternae potentiae, fax, & turbo nouae discordiae fuisset. Is filiam Rogerij uxorem ducit, à patre deficit, Italiae regnum sibi uendicat, moxq; ad eum omnes inimici Augusti prouolant. Pater filium pietatis admonet, sed frustra. Quare ad conuentus agendos ad Aquas Graneas concedit. Vbi filium Hainricum minorem natu Caesarem declarat. In paucis post diebus Conradus rex Italiae moritur. Augustus Reginoburgij conciliolum habet. Post haec Mogunciam petit, expeditionem in palestina meditans, in hyberna cum filio in Boiariam Reginoburgium concedit. Deinde profecturus in Asiam Mogunciam petit relicto filio in Boiaria. Is interim quorundam consilio à patre deficit. Nam, si pater inimicus Pontificum Rom. fato concederet, sibi ab alio praereptum iri Imperium, metuebat. Specie igitur pietatis rebellionem facit: se in potestate Pontificis futurum dat fidem. Augustus ubi haec audiuit, Pontifici scribit, de perfidia filij quaeritur. Mogunciae pater erat, extra moenia filius castra facit. Sed sine prelio utrinq; discessum est. Augustus Moguntiaci erat. Filiius autem horum suasu, qui potentiam Augusti metuebant, Confluentiam ad genitorem se confert, pedibus eius accidit, ueniam petit, atq; impetrat, iuramentum facit, se in potestate patris mansurum. Dum pater & filius ad conuentum Moguntinensem profiscuntur, tum nuncius, Boiorum, & Sueuorum magnas copias

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Moguntiaci aduersus Augustum conuenisse nunciat.  
 Tunc filius, pater ( inquit ) paulisper tibi secedendum,  
 donec illos tibi placem. At ubi Augustus Bingenium in-  
 trauit, porte clauduntur. Continuo custodes Augu-  
 sto, ne fuga elabatur, adhibent. Filius iterum communi  
 omnium suffragio Cæsar nuncupatur, Augusto nun-  
 ciatur, siquidem saluus esse uelit, filio insignia reddat.  
 Augustus hisce territus, nihil cunctatus, parat, redditq;  
 insignia. Quo factò filius patrem ad se ad Ingelheim  
 deduci iubet, ibi necem comminatur, nisi spontè Im-  
 perio cædat. Augustus omnia, atq; Romam se icurum  
 promittit. Cæsar apud Ruffach graui tumultu exce-  
 ptus, ratus id patris instinctu fieri, ad Ingelheim ut pa-  
 trem capiat, cõtendit, Augustus fuga elapsus, Coloni-  
 am peruenit. Inde Leodium deducitur. Quod ubi filius  
 rescit, eo properat, pœnas de Episcopo, quod hos-  
 tem recepisset, sumpturus, aut patrem in potestatem  
 redacturus. Pater rogat filium ne sibi beneficia amico-  
 rum eripiat. Filius in proposito perstat, Augustus filio  
 literas mittit, filium ad Deum in ius uocat. Filius rursus  
 legatos ad patrem mittit, ut si pater pacem amaret, pro-  
 pediem ad Aquas Graneas ad filium ueniat. Quibus  
 legatis custodiæ traditis, ad occurrendum filio pater  
 occulte omnia præparat. Sunt hoc loco authores di-  
 uersi, quidam ad pugnam esse peruentum, uictumq;  
 patrem, atq; captum scribunt. Et cum teneretur capti-  
 uus, rogasse Augustum, Spirenses Episcopum, alias  
illi



illi familiarissimum, ut prebendam sibi in Ecclesia Spi-  
rensi permitteret, ne fame perire cogeretur. Sed Episco-  
po renuente, Augustus suspirans cum lachrymis fertur  
exclamasse, Misere mini mei saltem uos amici, quia ma-  
nus domini tetigit me. Alij tradunt, dum legati Leodi-  
um uenissent, Augustum morbo correptum, nec diu  
post, mortuum. Per eosdem tamen legatos filio annu-  
lum, ense suum, extremum munus, & pignus patrij  
amoris cum mandatis mittit. Obijt Hainricus quartus  
& Idus Aug. anno Christi 1106. Imperauit annis quin-  
quaginta. Cadauer in locum non consecratum ponit-  
tur. Inde post quinque annos Spiram delatum sepelitur.  
Mirum, & incomparabile rerum humanarum specta-  
culum, & exemplum non uulgare, in quo contemplari  
possunt ima, atq; summa. Habent reges speculum  
utriusq; fortunæ. Habuit Hainricus nō solum Pontifi-  
ces, sed & omnes Imperij status hostes, & insuper duos  
filios rebelles. Vnde recte illum pilam fortunæ dixeris.

## Caput XXXIX.

DE HAINRICO EIVS NO-  
minis V. Rom. Imp.

**N**Vnq̄ impune cedit, facere aliquid aduersus iura  
paterna: neq; longæui sunt super terram, qui pa-  
rentes inhonorant. Id quod multis exemplis, tam sacris,  
q̄ profanis probari potest. Nos unico contenti, omni-  
bus

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

bus proponendum Hainricum Rom. Imp. eius nomi-  
 nis quintum. Natus est Hainricus in Germania, rex à  
 patre appellatus die Epiphaniæ anno Christi 1101, à  
 paschale Pont. Max. Imperator & Augustus corona-  
 tus est. Vxorem duxit Mechtildim filiam regis Angliæ.  
 Princeps non admodum laudandus, utpote, qui sub  
 pretextu religionis, patrem Hainricum 4. Rom. Imp.  
 excommunicatum, Imperio priuauit. Multa indigna fe-  
 cit, non solum ingratus patri, uerum etiam impia arma  
 contra illum sumpsit. Authoritate summi Pontificis  
 omnibus Principibus terrori fuit. Sed mutata Pontifi-  
 cis uoluntate, quidam Imperij status contra Hainricum  
 conspirant. Cæsar in Italiam profectus, Germaniam  
 dilaniari à Latronibus publicis sinit, Tandem patris ex-  
 emplum imitatus, cum omnibus Principibus, & pro-  
 ceribus Imperij in gratiam redit. Anno deinde domini  
 1125, cum ageret Traiecti, diu celatam infirmitatē cor-  
 poris diutius tegere non potuit. Morbus Dracunculi  
 dicitur fuisse, qui illi natiuus erat, quem & Augustæ ac  
 proximis tum amicis indicauit. Munitus igitur Ecclesiæ  
 sacramentis eodem anno 12. Cal. Iunij spiritum Deo  
 reddidit, in dimidio suorum dierum, quod illi fertur  
 Papa Paschalis predixisse. Nam neq; prolem uidit, neq;  
 senium attigit, neq; temporum tranquillitatem meruo-  
 it. Eiectis uisceribus corpus Spiram defertur, ubi cum  
 patre, auo, simul & proauo sepelitur, quod uersiculus  
 indicat, qui circa tumulum eius inscriptus legitur, hoc  
 modo,



modo. Filius hic, pater is, auus hic, proauus iacet illic. Fuit acri ingenio præditus, fortis ac audax, in prælijs infortunatissimus, interim auarus, ut qui subinde pecunias colligeret, & tamen nullos liberos, quibus relinqueret, habuit.

## Caput XL.

## DE PETRO DANO COMITE Scrinensi.

**M**ortuo Boleslao rege Poloniae anno Christi 1139, successit in regno Vladislaus, annum agens ætatis sextum & tricesimum. Vxorem habuit Christianam sceminam superbam, auaram, & ambitiosam, quæ subditos regis intollerabilibus exactiõibus subinde oneraret. Erat autem Vladislao regi inter præcipuos consiliarios, unus Petrus Danus Comes Scrinensis, uir magnæ prudentiæ, præterea æquitate, misericordia, fide, & constantia tanta, ut non solum regem, sed omnes in amorem sui, obseruantiamq; sui iure conuerteret, & alliceret. Hunc igitur rex solum in oculis habebat. Hic Petrus regem non semel officij admonebat, atq; obiurgando ab instituto reginæ auocabat. Verum Vladislaus omnia cum uxore cõmunicans, Petriq; consilia apertens, fecit, ut mulier iracunda in hominem excandesceret. Venatum forte fortuna Vladislaus rex, & Petrus Danus in syluas remotas ierant. Vbi cum nocte impediti

ILLVSTRIVM GERMANIAE

diti essent, in gramine quiescebant. Vladislaus mollium  
 stratorum recordatus, ioco Petrum appellans, mollius,  
 inquit, nunc Petre uxor tua cum Abbate Scrinensi cus  
 bat, q̄ nos, Petrus contra, iocum ioco retundens, fors  
 tasse, inquit, et tua cum Dobesso, Erat autem Dobessus  
 eleganti forma adolescens, aulicus regius, quo familia  
 rius Christina utebatur. Tactus hoc Petri dicto Vladis  
 laus, loquendi finem fecit. Sequenti die cum tristior,  
 cogitabundusq; domum rediret rex, Christina sciscita  
 tur causam. Victus Vladislaus blandicijs, coniugi uul  
 nus animi detegit. Mox scemina trux, odio extremo  
 Petrum prosequi incipit, cum marito agit, ut Petrus e  
 medio tolleretur, Interim dolis Christinae Petrus captio  
 uus per Dobessum regi praesentatur. Vladislaus animi  
 dubius, hominis reuerebatur dignitatem, poenam de  
 Petro sumere superfedet. Illa ubi uirum cunctari uidet,  
 minatur se ab eo discessuram. Vicit tandem, ut indicta  
 causa lingua Petro praecideretur, oculiq; effoderentur.  
 Sic ei iocus cum principe liberior male celsit. Commu  
 ne malum, ut quos oderint mulieres, eos apud maritos  
 deferant. Et quod certissimum est, experimur quotidie,  
 blandicias, nocturnasq; persuasiones mulierum apud  
 uxorios uiros, multum ualere: tantoq; magis beneuo  
 los, aut iratos fieri maritos, quanto plus potest is, quem  
 superant. Vixit Petrus Danus post eam calamitatem  
 quinque annos. Sunt qui referant, ei ante mortem pro  
 pter summam pietatem, uisum, & lingue usum restitua  
 tum.



tum. Iocari cum Principibus uiris tutum non est, sicuti prouerbiū illud uulgo notat, cum dicimus, procul à Iouis fulmine. Vnde non inuenuste, quisquis fuerit ille, lusit, dicens.

Ire, redire, sequi regum sublimia tecta,  
Egregius status est: sed non sic itur ad astra.

## Caput XLI.

## DE HAZIGA COMITE

Palatina Schirensi.

**H**Aziga regis Arragoniæ filia Hermannum Comitem à Castel maritum habuit. Quo mortuo Comiti Palatino à Scheuren nupsit. Ex quo Eckhardum, Bernardum, & Ottonem filios suscepit. Religiosa admodum femina fuit. Quæ post mortem mariti Ottonis, cum filijs locum in Alpibus elegit, interiore tempore Cellam uocauit. Vbi antea duo Eremitæ Otto & Albertus habitabant. Bernardus filius Hazigæ omnia sua bona huic celle tradidit, ipse sine uxore, & liberis priuatus obiit. Deinde cum ibidem Haziga templum construxisset, addidit annuos census, & prædia quædam, commendatque illud templum Vuilhelmo Abbati Hirsaugiensi. Qui duodecim sacerdotes Monachos, totidem Bardos, siue Laicos fratres Hazigæ ex Hirsaw misit. Monachi iniquitate loci coacti, inde decem millia passuum ad Vischpacham migrant. Quod Haziga,

I ij eiusque

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

eiusq; liberi per mutationem à Meginhardo Episcopo Frisingensi compararunt, à quo & templum inaugu-  
 ratur. Curam & administrationem rei familiaris (ut  
 tum erant tempora) gerabant Haziga, & liberi eius.  
 Ecclesiasticarum rerum sollicitudo penes Abbatē Hirō  
 saugiensem erat, donec anno Christi 1097. Erchinbold  
 dum Abbatem constituerent. Haziga, & liberi eius  
 templum D. Martino extruunt, ubi per tres annos  
 Monachi habitauerunt. Moritur Haziga anno Christi  
 1101. Calendis Augusti, sepeliturq; apud Vischpacham.  
 Post mortem Hazigæ Monachi à Vischpacham ad  
 Eysenhofen migrant. Papalis Papa Monasterium Ey-  
 senhofen confirmat. Deinde cum castrum Schirense in  
 Monasterium uerteretur, Monachi aquæ penuria in  
 monte Eysenhofen coacti, Schiram, autoritate, &  
 consensu Beatricis filiaë regis Vngariæ uxoris Vuerno-  
 heri ducis Boiorum ueniunt, ibiq; in hunc usq; diem  
 habitant. Calixtus Pontifex Max. Schirense Coenobia-  
 um in Aprili anno domini 1123. Hainricus Ro. Imper-  
 ator quintus in Maio, anno Christi 1124. confirmant.  
 Postea anno Christi 1127. ossa Hazigæ, eiusq; mariti  
 Ottonis Palatini, de Vischpacham non sine sanctitatis  
 opinione Schiram transferuntur, ubi eorū sepulchrum  
 in medio templi ostenditur. Hæc Haziga autor, & pri-  
 ma fundatrix Coenobij Schirensis habetur. Nam eius  
 pietate, & liberalitate idem Coenobium in superiore  
 Boiaria ditatum, iam locupletissimum est,

Caput



## Caput XLII.

DE RELIQUIIS IN SCHI  
rensi Cœnobio.

**C**onradus dux Dalmatiæ, Comesq; in Dachau  
 circa annum domini 1156. salutiferę Crucis, sacros  
 sanctiq; ligni magnam partem ab Heraclito Patriarcha  
 Hierosolymitano impetrauit. Quod sacrosanctũ mu-  
 nus Conradus dux prædictus cœnobio Schirensi tra-  
 didit; & quidem eo omine, uti quicunq; pressus inopia,  
 ualetudineue aduersa Solymos proficisci nequiverit,  
 non minorem ueniam, q̄ si illuc iuisset, consequeretur.  
 Siquidem donaria, pro sua pietate elargitus fuerit. Con-  
 ueniunt in Cœnobio Schirensi, religionis ergo certas-  
 tim singularum septimanarum, sexto die populus ac  
 sacerdotes complures. Fama deniq; constantissima  
 manet, (sicuti graues uiri testantur) quicunq; hanc  
 sacrosanctę Crucis partem, dum ei monstratur, con-  
 spicatus non fuerit, aut crimini flagicioso obnoxium  
 esse, aut eodem anno procul dubio moriturum, id  
 quod probatum non semel esse, sunt qui dicant.

At at (ut ait Tacitus) sanctius, reuerentiusq;  
 est acta Diuorum credere, q̄ temere  
 in ipsos inquirere. Extant adhuc  
 istę reliquię, atq; diligen-  
 ter seruantur.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput XLIII.

DE OTTONE MAIORE DV  
ce Boiorum eius nominis tertio.

**A**Rnuiphus Rom. Imperator Carolomanni regis Boiorum naturalis filius, dux Boiorum, in Boiaria inferiore, quam hodie Austriam uocamus, Luitpoldum uirum bellicosum Marchionem fecit. Quo ab Ungaris occiso, & Ludouico rege Boiorum (in quo stirps Caroli Magni in Boiaria defecit) uita functo, Boiorum proceres Arnulphum filium superioris Luitpoldi, cognomento Malum, sibi ducem elegerunt. Qui anno domini 937. mortuus, post se tres filios Eberhardum, Arnulphum, & Hermannum reliquit. Hi statim ob ducatum Boiariae inter se bello decertant. Otto primus Ro. Imp. ex his fratribus Eberhardum dicto non audientem capit, atque in Sueuiam relegat, fratres eius Arnulphum, & Hermannum dignitate ducali mouet, Comitesque Schirenses, ac Palatinos Boiariae declarat: Berchtoldo fratri Arnulphi Mali ducatum Boiorum donat. Qui cum sine liberis anno domini 949. decessisset, Ducatus Boiorum Hainrico, eius nominis primo, & Saxoni, ab Imperatore datur. A quo deinde ducatu Boiorum Saxones, Franci & Sueui successiue potiti sunt: donec Otto Comes à Scheurn, Palatinus Boiariae à Friderico Rom. Imp. primo, Barbarossa cognomento, totius Boiariae dux eiectò Hainrico Leone, factus



ctus est, De quo nobis breuiter dicendum est. Otto cogno-  
 memento Maior magni animi Princeps, laboribus  
 atq; bellis asper, amicus bonorum, inimicus malorum,  
 uiribus corporis, ingenijq; dotibus pollens, domi, for-  
 risq; præclarus, cōsilio atq; manu iuxta promptissimus:  
 à pugione, atq; Aquila Imperatori Friderico primo  
 Barbarossæ Cæsari Augusto fuit. Sæpius suscepta lega-  
 tione in Italiam, Romam, in Græciam ad Imperatorem  
 Orientalem Constantinopolim profectus est. Mode-  
 stè Augusto parendo, omnem operam suam Reipub.  
 deuouit, omnes neruos disciplinæ militari intendit. Plu-  
 rima in Italia præclara facinora fortiter edidit, auspicijs  
 Augustalibus. Imperatori equitibus, militibus, populo  
 æque charus fuit. Mediolanenses Imperatori rebella-  
 bant, Alexandriam urbem in odium Imperatoris Fri-  
 derici condunt. Cæsar sexto Italiam cum exercitu petit,  
 Alexandriam capit, solo æquat. Hainricus dux Boio-  
 rum atq; Saxonizæ Leo dictus, apud Imperatorem cum  
 quinq; millibus equitum erat. Verum corruptus pecu-  
 nia, ab Imperatore deficit, cū omnibus copijs suis, absq;  
 comætu ex castris discedit, Quod ubi Mediolanenses  
 resciscunt, Imperatorem in fugam uertunt. Imperator  
 reuersus in Germaniam, anno domini 1180, Regino-  
 burgium se cum Principibus confert, Hainrico diem  
 dicit, Ille nec apparet, nec legatos mittit. Imperator aus-  
 tem in cōfessu statuum Imperij Hainrici facinora com-  
 memorat, eundem fidem sibi datam fregisse probat.

Hæc

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Hæcubi dicta sunt, crimine læsæ Maiestatis damnatur, Boiariæ ducatu priuatur. Cæsar Ottonem signiferum suum ducem facit Boiariæ, ex quo ducatu maiores Ottonis ante annos ducentos atq; triginta unum, ab Imp. Ottone primo submoti fuerant, quem ducatum Otto à Friderico uirtutis ergo Reginoburgij accepit tertio Idus Iulij anno Christi 1180. Otto ius sapius in Asylo, porticibusq; templorum in frequenti populi corona, ciuibus, agricolis, sacerdotibus, & nobilitati dixit. Chelshaim oppidum extruxit, Landshutam incepit. Qui cum Boiariam annos tres diebus duobus minus administrasset, moritur quinto Idus Iulij ab orbe asserto 1183. Sophiam & Machtyldam filias, Ludouicum filium impubrem ex Hagna filia Theodorici Comitis à Vuasserburg reliquit. Corpus ad Schiram delatum, ibiq; sepultum est.

### Caput XLIII.

#### DE LVDOVICO EIVS NOMINIS primo duce Boiorum.

**L**udouicus eius nominis dux Boiariæ primus, Ottonis ducis Boiorum, & Palatini à Vuittelsbach, Friderici primi Ro. Imp. signiferi unicus filius fuit. Hic mortuo patri anno Christi 1183 in ducatu Boiariæ successit. Ab initio multa ab aduersarijs suis passus, quibus fortiter restitit. Pacis tamen & iustitiæ studiosissimus, plurimum



plurimum dignitatem, atq; opes Vindelicorum, quoniam Fridericus Imperator Norico inde separato multum Vindeliciæ detraxerat, auxit, magnificè pleraq; condidit. Straubingam extruxit, Abudiacum refecit, Landam ædificauit, Dingelsing auxit, arcem Landshutæ erexit, Monachij Xenodochium instituit, Braunaw mœnibus cinxit, Toparchias Boiorum Cham, Frontenhausen, Dachaw, Andechs, Vuittelspach, Vogburg, Rietenburg, Stephaning, Lengfeld, Sultzbach, Krayburg mortuis absq; liberis Tetrarchis uendicauit. Laodamiam fœminam cordatam, atq; pulcherram in Boiemia ortam, uxorem duxit. Regi noburgij in celebri principum conuentu à Cæsare Friderico Rhenanum ducatum, Electuræq; officium impetrauit. Dumq; eo proficiscitur ab incolis capitur, maximo pecuniæ numero sese redemit. Deinde cum Friderico secundo Rom. Imperatore Romam profectus est, ibiq; coronationi Cæsareæ interfuit. Tandem inuidia aulicorum in Hainrici Cæsaris, filij Friderici indignationem incidit, senatq; Cæsareo mouetur. Kelhaimij frequens habitauit. Vbi cum post cenam in ponte deambularet, à Sticho morione, quem per ludum, ac iocos incessabat, cultello lætali uulnere sauciatur, moxq; in conspectu omnium aulicorum exanimatus corruit, decimo octauo Cal. Octobris Anno domini 1231. Extrat Kelhaimij ædicula, stipesq; sacratu huiusce rei monumentum. Corpus Schiram delatum magnificè sepelitur.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Quo tempore quidam hoc lusit distichon, quamq̃  
non admodum elegans, tamen rei memoriam notat,  
quod ego manu scriptum in fastis Schirensibus inueni,  
& excripsi, neq; nitoris, cultusue, sed testimonij gratia  
subscribere uolui.

Quod dolor est dictu, Ludouicus ensis in ictu,  
Extremæ sortis, persoluit debita mortis.

Caput XLV.

DE OTTONE DVCE BOIO-  
rum eius nominis quarto.

**O**Tto, Ludouici Boiorum ducis, qui Kelhaimij a  
morione occisus fuit, uxorem habuit Agnetem  
quondam Hainrici Palatini Rheni filiam. Is uiuente  
adbuc patre, utrūq; ducatum Rheni, atq; Boiorum ab  
Augusto impetrauit, in fidemq; accepit. Mortuo patre  
Trosiberg arcem ædificauit, inde Friderico duci Aus-  
triae bellum indixit. Contra Fridericum secundum  
Rom. Imp. cum Pont. Max. foedus fecit. Sed Imperato-  
ri reconciliatus Conrado regi Palestinæ filio Augus-  
ti, filiam suam Elisabetham despondet. Cum Regino-  
burgensi, Berhauensi, & Fruxinensi Episcopis multas  
lites habuit. Nam hii Episcopi ob seruitia, seruitutemq;  
templorum, & æs curatorium, & ut uocant, pro inmu-  
nitate Ecclesiastica obtinenda, cum Ottone regulo  
disceptabant. Otto ducatum Boiariæ non parum auxit,  
& colit



& collocupletauit. Tetrarchias à Bogen, Vuindberg, Andechs, Damasia, Hohenwart, Phalai: item Crainsburg, Pleinting, Liebenaw, Vuasserburg, Belatinos inuiscavit, cum reguli illorum absq; liberis decessissent. Erat eo tempore grauissimum bellum inter Fridericum, Conradū Cæsares, Romanosq; Pontifices, quod maxime religionem Christianam pessumdedit. Otto interea multa perperam, atq; superbe egit. Vilis homuncio, conditione agricola, grauiore somno oppressus, quarto Calendas Octobris, Deum Opt. Max. pro tribunali sedentem, uidere uisus est, & (accusatoribus Diuis) subitariae mortis sententiam ferentem in Romanum Pontificem, Ottonem ducem Boiariae, ceterosq; Principes, qui pacem turbarent, insontes opprimerent, quos tutari deberent, innumeris calamitatibus afficerent. Hunc uisum Ottoni relaturus Landshutam homo uenit, sed à conspectu Principis prohibitus, quibusdam praesulibus, & potissimum Berchtoldo D. Francisci sacerdoti, eius tempestatis uiro sanctissimo, concionatoriq; omnium clarissimo (ostenditur ipsius sepulchrum Ratisponae) rem enarrat. Berchtoldus aditum ad Ottonem impetrat, fatum imminens aperit, ac ut resipiscat commonefacit. Sed, ut sunt animi, auresq; quorundā delicatae, surdo fabula narratur, uerbaq; fiebant mortuo. Exitus tamen probauit haud uana fuisse somnia. Nam Otto, filio suo Hainrico in Ungariam misso, ipse cum altero filio Ludouico Landshutam re-

ILLVSTRIVM GERMANIAE

dijt. Et cum tertium diem ante Cal. Decembris cum uxore, & liberis hilarem sumit. Noctu autem subito expirat, anno Christi 1253. Ita qui modo hilaris erat, subito obruitur. Vigilemus igitur & discamus in nulla læticia huius sæculi habere fiduciam, scientes (ut D. Bernardus inquit) quoniam extrema gaudij luctus occupat. Conradus quoq; Cæsar, Itidem Innocentius quartus Pont. Max. eodem anno mortui sunt. Reliquit hic Otto quatuor liberos ex Agnete uxore, Ludouicum, Hainricum, Elisabetham, & Sophiam. Fratres Boariam diuisere in superiorem & inferiorem, antea inaudita hæc nomina fuerant. Ab hoc etiam Ottone hactenus Principes Boiorū sese Palatinos Rheni nuncupant, & sunt. Haidelbergæ adhuc in arce nouales guntur hij quatuor rythmi.

Otto der erst Pfalzgraf by Rhyn/

Hat Pfalzgraf Hainrichs thöchterlyn.

Mit manhait er es erfacht/

Des Reichs Churfürst belib sein geschlächht.

Caput XLVI.

DE OTTONE IUNIORE COMITE Palatino ab Vuittelspach.

**O**Tto iunior Comes Palatinus à Vuittelspach, feris moribus præditus, uir militaris, literarum prorsus ignarus fuit. Et cum iam Philippus dux Sueuiæ in Cæsarem



farem electus esset, ut sibi Boios benevolentia & officis  
isiungeret, filiam suam Kunigundam Ottoni huic Palatino  
promittit. Verum cum Otto quosdam regi  
commendatissimos occidisset, à se animum regis auer-  
tit, adeo ut rex ob homicidium generum abdicaret,  
Kunigundam filiam, quam eidem desponderat, Vuen-  
zeslao filio Ottocari dat in matrimonium. Desperato  
illo coniugio Palatinus Otto filiam ducis Poloniae des-  
poscit, atq; à rege Philippo literas commendatitias pe-  
tijt. Ille ubi literas accepit, ex scriba depræhendit esse lites  
ras Vrie, Infremuit Otto, sed nihil exoptulans cum re-  
ge iram compressit, seq; ulcisci authore Episcopo Bam-  
bergensi, & Hainrico fratre eius cogitat. Interim rex  
Bambergæ in Altëburgo Episcopali castro uenas secat,  
Otto ludibundus nudato gladio transit palatium. Inde  
regij triclinij fores appellas admittitur. Ibi quoq; ludens  
gladium uersat. Increpitus à rege, dicente, non esse lo-  
cum, neq; tempus digladiandi. Respondet Otto, & lo-  
cus, & tempus ensem petunt. Hoc dicens, regis iugus-  
lum, nihil mali suspicantis de improviso petit, ipsum legi-  
taliter sauciat. Vociferanti Truchsalsio, & pessulum ho-  
stio obdere conanti, malam eodem ense affligit, plas-  
gamq; atq; uulnus facit. Ita ad ministros antea subor-  
natos erumpit, quorum quoq; ope elabitur. Philip-  
pus rex paulo post fato concedit .10. Cal. Iulij anno  
Christi 1208. Cæsare occiso, aderat filia unica lachry-  
mose conquærens necem in meritam patris, in sua dos

ILLVSTRIVM GERMANIAE

mo, minutione sanguinis laborantem, in Maieſtate  
 Caeſarea, ab eo etiam, quem dignitate auxiſſet. Fuere qui  
 lachrymas non tenuerunt. Otto crimine leſae Maieſta-  
 tis condemnatur, atq; proſcribitur. Eckbertus in Vn-  
 gariam, Hainricus in Paleſtinam elabitur. Otto in Bo-  
 iaria palabundus oberrat, Ludouicus dux Boiorum,  
 Otto à Phalay, Hainrichus Calatinus, Andechs arcem  
 Hainrici inuadunt, ſolo æquatur. Ludouicus præterea  
 dux Boiorum Vuittelpach, Patruelis ſui Ottonis regi-  
 am, incunabula maiorum ſuorum, diruit, ſolo æquat,  
 templum Deiparae Virgini ædificat, ſacraſtis Teuto-  
 num Equitibus donat, lapides reliquos ad Aicham de-  
 uehit, ad alios uſus conuertit. Proximo anno Chriſti  
 ſcilicet 1209. Hainricus à Calatin, Viſonis filius, quem  
 Otto quoq; occiderat, apud Oberndorff in Boiaria  
 proxime Abudiacum, haud longe à Reginoburgio, in  
 ripa Danubi Ottonem à Vuittelpach profugum de-  
 præhendit, uulneribus confoſſum occidit, caput eius  
 amputat, in Danubiumq; proiicit. Reliquum corpus  
 Ottonis ad Vnderſtorff deportatur, in terra non con-  
 ſecrata ſepelitur, nono demum anno authoritate Pon-  
 tificis eſſoſſum, more Chriſtiano humatur. Sunt qui  
 tradunt, poſteros Ottonis in Arduenna ſylua exulaſſe,  
 atq; Vualdgrafios dictos eſſe. Vuilhelmus ab Eſchen-  
 bach uitas Imp. ſeſcennino uerſu artiſcioſe, & Ger-  
 manice deſcripſit, ubi in uita Philippi Caeſaris ita ſcri-  
 bit.



Der Künig het vier schöne kind/  
 Die waren im lieb/als sie noch sind/  
 Vil manchem man/der sie noch hat/  
 Die weil vnd in der tod hie lat.  
 Die kind waren all jungfrawen/  
 Je schöne lief sie wol schawen.  
 Er gab die ain in Beham land/  
 Die andern gab er in Praband.  
 Die dritte ward hingeschworen/  
 Das were besser verworen.  
 Dem Pfaltzgrafen von Wittelspach/  
 O wie groß layd daruon geschach.  
 Man widert jm den gmahel sein  
 Daruon thet er der rache schein  
 Dardurch der Künig den leib verlos/  
 Von ainem schwert sein ende bos.  
 Die warhait sag ich vberain/  
 Ain Marschalck von Pappenhaim  
 Von Calatin was er genandt/  
 Der rach den Künig mit seiner handt.  
 Dem Pfaltzgrafen er ja nach strich  
 Mit listen bis er in erschlich  
 Von jm ward er zu tod gschlagen  
 Das mord wolt er nye vertragen.  
 So rach er den Künig herze  
 Des Künigs tod müth in sehre.  
 Was yemandt schuldig mehr daran/  
 Das richte Gott als er wol kan.

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
Capit XLVII.  
DE ALBERTO BEHAM  
Decano Bathauensi.

**A**lbertus cognomento Behā Cathedralis Bathauiensis Ecclesiae Decanus, homo à natura sediciosus, & inquietus, omnium dissensionū inter summum Pon. et Fridericum secundū Ro. Imp. autor, et promotor fuit. Hunc Ro. Pontifex Bathauensis Ecclesiae Decanum, utpote uirum nobilem fecerat, eundemq; hominem, factiosum, potentem, eruditum, ultro operam suam pollicentem, in quatuor annos audacis cepti contra Imperatorem Fridericum secundum institorem declarat, sibi iuramentum dicere iubet, Legatumq; suum facit generalem anno domini 1250. usq; ad annū 1262. per uniuersam Alemanniam, Boiemiā, Poloniā & Morauiam, exauthorandi, cum Archiepiscopos, tum Episcopos, quos Imperatori magis amicos, q̄ Romanis Pontificibus intelligeret. Albertus ex Roma in Germaniam instructus bullis redit, ab Ottone duce Boiorum Landshutæ benignè hospicio recipitur. Qui cum ubiq; multas turbas excitasset, nusq; tutus erat, Landshutæ se continebat, nusq; egrediebatur. Ciues Ratissponenses, Rapotho praefectus praetorio Boiariae sedus iniere, Albertoq; bellum indicebāt. Rudigerus Episcopus Bathauensis Alberto Pontificia mandata in templo exhibenti, pugnam in os impedit, illumq; in uincula



cula conijci iussit. Salisburgensis Archiepiscopus Octo-  
roni duci Boiorum scribit, admonetq; ut Albertum finibus  
suis exigat. Albertus ad dolos conuersus, super-  
stitione rebus suis consultit, scilicet se in somnis admoni-  
tum diuinitus dicit, enssem celitus demissum prædicat,  
superos omnes sua acta probare uulgo iactitat. Nec  
hoc contentus, immo quos antea publice deuouerat,  
hoc pecunia accepta, Syngrapha data absoluebat. Epis-  
copi & proceres Boiariæ conuentum Reginoburgij  
agunt. Vbi decretum est Albertum tota Boiaria pelle-  
re; insuper omnibus rebus, suppellectile, sacerdotijs,  
gratia, gaza, gentilicij hæreditatibus mulctatur. Dein  
deproscribitur, hostis Reipublicæ iudicatur, et per om-  
nium sacerdotum religiones deuouetur. Albertus ad  
Bernstain ad cognatum suum auffugit, ab eoq; trecentis  
libris uenditur. Verum elapsus Lutheciam peruenit,  
inde Lugdunum, se ad Innocentium Pontificem Max.  
confert. Rursus in Boiariam rediens, ab Ottone Boio  
in Obernburg obsidetur. Deinde cum Bathauiam in-  
gressus esset, urbs ab Ottone capitur. Albertus depræ-  
hensus perfidiæ condemnatur, uiuo cutis detrahitur.  
Vnde huc usq; dicterium uulgo in Bathauenses usur-  
patur, ideo Lupum cruentum, pelle exutum, eorum in-  
signe esse, qd' sacerdotem uiuum deglubuerint; mon-  
straturq; adhuc lapis, ubi hoc factum sit, qui sanguina-  
rius inde cognominatur. Albertus homo auarus, su-  
perbus, & perditus per multos annos Orbem, urbem

L Romam,

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
Romam, & Imperatorem, atq; Episcopos uexauit, donec  
nec iudicio Dei poenas daret.

Caput XLVIII.  
DE ADOLPHO COMITE  
Holsatiae.

**A**Dolphus Comes Holsatiae acris animi uir, & rebus  
preclare gestis inter Principes uiros clarissimus, circa annum domini 1240. uixit. Vxorem habuit,  
liberosq; progeniuit. Qui, cum sibi grande bellum immineret, et iam manus cum hoste conferturus, uoto se  
se astrinxit, ut si uictoriam patriae suae permitteret altissimus, se religionem Franciscanorum ingressurum. Victoria illa  
posita, statim relictis filiis tribus, & una filia in Comitatu, alijsq; rebus saecularibus rite constitutis,  
omnia relinquens, paupertatem Christi emulaturus, sacram uestem Minoritarum induens, uotum soluit,  
frater Laicus, siue Bardus, domino seruiturus Monasterium Franciscanorum in die S. Hyppoliti in Hamburgo  
ingreditur. Interim tamen, quia satis literis eruditus erat, secum cogitare cepit, qua ratione ad sacros  
ordines perueniret, atq; sacerdos fieret. Permittente Guardiano suo Romam abiit. Vbi Pontificis Innocentij  
quarti dispensatione, sacerdotij dignitatem consecutus est. Rediens ex Roma, Hamburgi in conuentu  
fratrum, Missam primam cunctis collachrymantibus celebravit.



celebrauit. Deinde Monasterium sui ordinis ipse manibus suis multa molitus, in oppido Kyl, ædificari curauit. Cumq; multum solícite laboraret, hostiatim insuper Eleemosinam suorum quondam subditorum humiliter poscens, & accipiens circumibat. Lac, quod dabatur, in hydriam colligebat, ad nouam structuram deferebat, ut haberent operarij, atq; fratres sui, quo inter laborandum per æstum reficerentur, et sitim extinguerent. Contigit autem una die, ut media platea, ubi iter declinare non poterat, hydriam baiularet lacte plenam. Et cum filios suos Comites Holsaciæ equitantes, splendideq; ornatos obuíos forte fortuna haberet, humano affectu tactus, erubuit. Quo factó, continuo infremuit, & robur animi rursus colligens, in conspectu filiorum, lacte ad uerticem capitis effuso, se toto corpore madidum fecit, & lacteum, dicens, infelix homo Christi paupertatem erubuisti baiulare lac, nunc in capite, & cuculla ostende quid portaueris. Statimq; hoc dicto iter suum, filiorum præsentiam nil curans absoluit.

Quis non miretur tam insignem humilitatem, patientiam, pietatem? Vixit autem in religione annis 14. & mortuus est, tumulatur in oppido Kyl sub lapide quadrato in Choro fratrum minorum.

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

## Caput XLIX.

## DE CONRADINO VLTIMO

mo Sueviæ duce.

**C**onradus Friderici secundi Rom. Imp. filius, Rom.  
 rex, Neapoli moritur anno salutis 1254. undecimo  
 Cal. Iunii, unicum filium reliquit ex Elisabetha Otto-  
 nis ducis Boiariæ filia Conradum, qui & Conradinus  
 dicitur. Hic mortuo patre nondum trium annorum  
 erat, Landshutæ in Boiaria apud aviam suam Agnes-  
 tem educabatur. Elisabeth Conradini mater magni  
 animi foemina, quæ etsi ad secundas nuptias, prioribus  
 impares transisset, tamen in suis diplomatis publicis, se  
 semper Reginam appellabat. Cum vero anno domini  
 1259. mortuus esset Alexander 4. Pont. Max. eligeba-  
 tur Urbanus quartus. Hic in odium Ducum Sueviæ  
 Carolo Andium regulo Siciliae regnum cum alijs pro-  
 vincijs, contra Conradinum largitur, & donat. Quæ  
 regnum Manfredus tutor Conradini administrabat.  
 Manfredus cum Carolo confligens, haud inultus suc-  
 cubuit. Conradinus interim in Boiaria apud ducem  
 Hainrichum avunculum suum degebat: & crebris le-  
 gationibus ab Italiae urbibus, ut auitum, paternumq;  
 regnum recipiat, evocatus, consilio matris, comitibus  
 Friderico filio Hermanni Austriae, atq; Stiriae ducis,  
 alijsq; Germanis nobilibus Italiam petit. Deinde comi-  
 tantibus Longobardis, Suevis, Thuscis Romam recta  
 peruenit.



peruenit. Ibi haud aliter q̄ legitimus hæres Siciliæ exci-  
 pitur. Hinc Campaniam intrat, cum Carolo manus  
 conferit. Carolus fugam simulat. Qui pro Conrado  
 pugnabant, hoste fugato, ad prædam conuersi, Conra-  
 dinum cū paucis relinquunt. Hoc ubi Carolus cogno-  
 uit, subito in Conradinum irruit, plærisq̄ cæsis, Conra-  
 dinum, Fridericum, Gerardum Pisanum, aliosq̄ nobi-  
 les uiros uiuos capit. Neapolim ducit, arctaq̄ custodia  
 obseruari iubet. Carolus quosdam Principes, quid nam  
 de captiuis fieri placeat, consulit. Inter quos Pont. Max.  
 in eos animaduertendum maxime censuit, persuasitq̄.  
 Nam ita ad Carolum scripsisse fertur, Vita Conradini,  
 mors Caroli: mors Conradini, uita Caroli. Sunt au-  
 thores Carolum per literas ad Pontificem retulisse,  
 quid de Sueuo agi placeret, illum respondisse, non in-  
 tercedere se, quo minus lege ageretur. Cum igitur iam  
 per integrum annum detenti fuissent, quarto Cal. No-  
 uembris die Lunæ anno salutis 1268. solum purpura  
 sternitur. Fridericus primo securi percutitur. Cuius ca-  
 put Conradinus complexus, atq̄ osculatus, lachrymis  
 obortis, innocentis adolescentuli necem miseratus, de-  
 plorat. Dein Deum inuocans, tribunal eius appellat,  
 manicis in coelum abiectis, istæc sua regna Petro Arra-  
 gonum regi, iure suo legat, intrepidus cœuicem carnifi-  
 ci porrigens, capite cæsus est. Postremo undecim pro-  
 ceres Italiæ, atq̄ Sueuiæ eodem supplicio afficiuntur,  
 inter quos fuere Gerardus Pisanus, cognomento Co-

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

mes Niger, & quidam nobilis ab Hirnhaim Sueuus. Ab hoc tempore Conradini, nullus de progenie Comitum Pisanorum militari uoluit, nisi in bello, ubi fieret uindicta in stirpe, quæ Conradinum occidit. Carnis fex post Conradinum, & alios securi percussos, Caroli iussu, sanguine suo, occisorum manibus parentare coactus est, pariq; fato caput amisit. In hoc Conradino nobilissima familia ducum Sueuię fraude, et odio Pontificis defecit, in qua Romanum Imperium plusq; centum, & uiginti annis incrementa sui accepit.

Caput L.

### DE ALBERTO MAGNO.

**A**lbertus cognomento Magnus, ordinis Predicatorum, in Sueuia clarissimis parentibus, in agro Lauingensi, ex regulis Bolstatensibus anno Christi 1193. natus & ortus est. Hunc alterum, & Germanum Varonem, aut si ueritas aperte dicenda est, longe Varrone doctiorem dicere licebit. Nihil eum penitus fugit, omnia perfecte nouit. Naturæ secundū Aristotelem uerissimus interpretis fuit. Scripsit Dialectica, Mathematica, Physica, Metaphisica, Ethica, Theologumena, & si fas est dicere Magica adeo exquisita, haud aliter, q̄ si uinduntaxat operam nauasset, cetera ne attigisset quidem, adeo singula in suo genere absoluit. Primus apud Latinos in omnes Aristotelis, Euclidis, Petri Lombardi, & aliorum



aliorum huiusmodi authorum libros cōmentaria scripsit: eloquentia summa suo seculo, eruditione etiam nostro p̄ditus fuit. Parrisijs insignis habitus est, testimonio Mathei Palmerij anno Christi 1255. ubi publice docuit. Thomæ Aquinatis præceptor extitit. Postea Coloniensis Cenobij apud Domini castros lector factus est. Vbi fama nominis eius ita aucta est, ut facile Alberto Episcopo Ratisponensi deposito, in locum eius substitueretur anno domini 1260. Episcopus provisione Alexandri 4. Pont. Max. factus, studium consuetum nō intermisit, in castro Strauff frequens habitauit. Vbi & commentaria in Euangelium Lucæ scripsit, quæ adhuc Reginoburgij apud Prædicatores ostenduntur. Administrator rei familiaris diligentissimus fuit. Episcopatus æs alienū magna ex parte breui temporis spacio dissoluit, suum defraudans genium. Vnde de eo facile dici potest, quod Cicero de Talete scripsit, & Plinius de Democrito, scilicet Philosophū, si ei commodum esset, pecuniam facere posse. Postq̄ Albertus Magnus per annū Pontificatu functus est, tedio occupationū, ultro cedit, ad Philosophiam, et literas redit. Coloniam se rursus cōtulit, ubi & mortuus est anno Christi 1280. ætatis 87. eiusq̄ corpore Colonię in mediō choro conuentus sui humato, intestina Ratisponam delata esse dicunt. De Nigromantia illius nugatores, & ociosi homines fabulam finxerunt, cum uirum tam bonum malis artibus studuisse, neq̄ credibile, neq̄ uerisimile sit.

Qui

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
Quicum in Episcopatu suo edictum aliquod publica-  
ret, nō alio exordio usus est, q̄ ut scriberet in hunc mo-  
dum. Frater Albertus miseratione diuina Ecclesiae Raz-  
risponensis Episcopus &c. in quo humilitatis opinio-  
nem liquido testari uoluit.

Caput LI.  
DE CONRADO STICH  
milite Germano,

Post miserabilem cēdem Conradini regis Siciliae, &  
ducis Sueuiæ ultimi, aiunt summum Pont. elegisse  
quendam Germanum Francum, ex Ochsenfurt oriun-  
dum, nomine Conradum Stich, Conradinum facie  
adprimè & expresse referentem, cui regnum Siciliae  
commendaret, uti hac arte uulgi malam suspicionem  
de se conceptam, deluderet, atq̄ facinrus perpetratae  
iniuriæ in Conradino ablueret. Sed mihi non fit ueris-  
mile. Nam Carolus Gallus Imperio Siciliae potitus, ho-  
minem plebeium non adm. sisset, cum regiam sangui-  
nem fere non potuit. Verius autem est, quod legi,  
nempe Conradino crudeliter interfecto, Germano-  
rum exercitus in uaria dispersus, & de rebus suis despe-  
rare cepit. Hic consilio quorundam, Germani globo  
facto, publica contione militari, Conradum Stich-  
nem, fabrum ferrarium Vurtzburgh ortum, reliquijs  
militum p̄ficiunt, eoq̄ duce per Ital. fines penetrant,  
ferro



ferro sibi viam aperiunt, & in Germaniam elabuntur. Vbi fines Germaniæ attigerunt, Sticho clam ab exercitu sese subducit, atq; ad incudem redit. Satius esse arbi-  
trans, in officina ferrum mulcere, q̄ cum periculo inter  
tumultus militares, regis, aut ducis officio defungi.

## Caput LII.

## DE PETRO EPISCOPO

## Basilienſi.

**C**VM anno Christi ſaluatoris noſtri 1273. Rudol-  
phus Comes ab Habsburg, in Romanorum re-  
gem electus eſſet, Marchio Brandēburgenſis, & Burg-  
grauius Norinbergenſis hoc nuncium Baſileam ad Ru-  
dolphum (ibi enim tum habitabat) deferunt. Quod  
cum Petrus Episcopus Baſilienſis audiſſet, ſibi ipſi pu-  
gnas in frontem impingens, ait, ſede fortiter Domine  
Deus, uel locum tuum occupabit etiam Rudolphus.  
Cogitans fortaliſis indignum, qui Comes genere, non  
miltarum facultatū, Imperator eligeretur. Fuit autem  
Rudolphus ab ineunte ætate rerum gerendarum,  
atq; militaris diſciplinæ exercitatiſſimus.

Quem tamē Deus ipſe Imperio dedit,

à quo tam clara ſoboles ſucceſſit,

ut ferē maiorē partem Chriſ-

tianitatis in Europa

hodie poſſideat.

M Caput

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

## Caput LIII.

DE FRIDERICO EPISCO-  
po Spirensi.

FRidericus generosus dominus, & Baro à Boland  
den, uel ut aliq̄ uolunt Comes de Leiningen, in Episcopum  
Spirensis electus est anno domini 1271. Erat  
hic Rudolpho Habsburgio Imperatori in primis charus  
& gratus; eiusq̄ consiliarius silentarius perpetuus;  
Imperator autem amissa coniuge, alteram duxit senes-  
cens Hagnem siue Agnetem, iuenculam, filiam ducis  
Burgundiae, & neptem regis Franciae. Quae formosiss-  
sima fuisse traditur. Cumq̄ quodam tempore iussu  
Augusti Spiram ueheretur, Fridericus Episcopus urbis,  
officij ergo, Augustam e carpento descendentem suble-  
uans, ei suauim dedit inuitae. Indicauit illa Imperatori  
factum, cum graui querela. Imperator minus quidem  
indignabatur, uel quia & ipse tales ludos solitus fuerat  
ludere, uel quia Episcopo sibi grato facile peccatum con-  
donabat. Sed ut Augustae, quae grandem sibi factam  
iniuriam putabat, iram placaret, iussit nobilem quendam  
Episcopo referre, Augustum sibi soli parasse Pacificale  
(uulgo Agnus Dei uocant) quod ipse solus  
oscularetur: quare si & ipse Episcopus quoq̄ osculari  
uellet, proprium sibi Pacificale pararet, atq̄ alienum in  
posterum osculari abstineret. Quo nuncio Antistes  
territus, relicta aula Imperiali, aliquandiu cessit, uoluntario



tario exilio delituit, donec post non multos menses Imperator ex hac vita euocaretur. Quo mortuo ad sedem suam Fridericus redijt, præfuit annis triginta, & obiit anno Christi 1301.

## Caput LIII.

## DE HENCIO NATVRALI

Friderici secundi Rom. Imp.  
peratoris filio.

**H**encius, quod idem est in Germanica lingua cum Hainrico, qui uulgo (*Heinz*) dicitur, filius naturalis Friderici secundi Rom. Imp. fuit, natus ex Blanca Marchionissa Montisferrati concubina Imperatoris. Hunc pater regem Sardinie instituit, Longobardorum ducem, & generalem per Italiam sacri Imperij Romanum legatum fecit. Hic pro patre plura fortiter gessit, totam Romandiolam maximis affecit calamitatibus. Plerosque Cardinales in uincula coniecit, dum patrem Pontifex pertinaciter periequeretur. Orto deinde inter Bononienses, et Mutinenses bello, à patre Mutinensibus opem ferre missus est. Inito ex utraque parte conflictu, Hencius à Bononiensibus, capitur, nullaque re ut dimitteretur, impetrat. Non potuit pater filium tanto auro redimere, quantum ad Bononiæ moenia aureo circulo cingenda sufficeret. Sic captiuus 22. annis mensibus 8. diebus 16. tenetur, aliturque regio more, publica Bononiensium

M ij impensa.

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
 impensa, Mortuus tandem in S. Dominici templo sepelitur, marmore aurato, cum hac inscriptione.  
 VIATOR QVISQVIS ES SISTE GRADVM, ET QVOD SCRIPTVM EST PERLEGE. VBI PERLEGERIS PENSITA: HOMO IS CVIVS CAVSSA SCRIPTVM EST, FIERI ROGAT. PRETEREA SIMVLACHRV M HOC IN PERPETVVM MONVMENTVM ET HOSTI, ET CAPTIVO. S. P. Q. B. POSVIT. ANNO SALVTIS M. CC. LXXII. SECVNDQ IDVS MARTII. HOC VOLEBAM VT SCIRES, ABI ET VALE.

Caput L V.  
 DE PSEVDOFRIDERICO.

**P**ost mortem Friderici secundi Ro. Imp. contigit, ut elapsis aliquot annis prodiret quidam sub Rudolpho Imp. anno domini 1292. qui se diceret Fridericum cum Imperatorem esse. Constans enim fama tum erat Fridericum Imp. minime mortuum fuisse. Hunc Pseudofridericum quidam Fridericum Holstuch, alij Tile (Kolhup) cognominant. Hic dicebat, se clam suis subduxisse, fastidio rerum ut quietior uiueret, & mortuum alium subdidisse, quem pro se uulgus tumulasset, paucis



paucis conscijs consilij sui se per multos annos peregrinatum, nunc reuifere terras Imperij. Erat hic Pseudofridericus manium eliciendorum gnarus, inferosq; cogendi peritus, uultu autem Imperatorem admodum referebat: ob id igitur se eundem esse prædicabat. Opes ingentes quas atrati spiritus subministrabant, ueteranis ad se confluentibus largiter, in spem adipiscendæ dominationis Imperialis distribuebat. Erat ille præterea faber fallaciarum mirabilis, comis etiam, atq; affabilis, quos pecunia non poterat, blandicijs sibi conciliabat. Multa secreta militibus, Equitibusq; qui sub Friderico meruerant, geniorum disertorum instinctu memoriter recitabat. Iudæi, atq; Christiani, nobiles Rhenani, uulgus promiscuum, ciues, agricolæ conuolabant, Fridericum redisse gratulabantur. Præsertim Landgrafij Thuringiæ, & Colmaria ciuitas. Pseudofridericus milites conscribebat, illis donaria elargiebatur. Iamq; indies magis, ac magis copijs auctus Imp. more conuentus agere, primo Nouesij, deinde Agrippinæ incipiebat. Cæsar Rudolphus cum exercitu adest, apud Vuetzlar impostorem compræhendit, urbi minatur excidium, nisi ueneficum dedant, traditumq; ab oppidanis impietatis condemnat. Fatebatur se aliquandiu in Cæsaris curia seruiuisse, inde præcognita sibi ea, quæ narraret.

Ob quæ scelera iussu Cæsaris ad palum ligatus, igne concrematus, uitam cum Imperio miserè finiuit.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput LVI.

DE OTTONE CRONDORFFER BOIO.

dorffer Boio.

**M**iseri mortales cum sumus, tamen ita saepe uiuimus, ut nihil pensi habeamus alijs incommodare, dum modo animo morem geramus nostro. Et istud quidem plerumq; in aulis Imp. Regum, et Principum, ex communi omnium aulicorum, malo, inuidia scilicet euenire quotidie uidemus. Recte igitur de aula uulgo dici solet, aulam nimirum inferos esse. Vbi regnat plerumq; clanculum inuidere, mordere, detrahere, & quod pessimum est, mutuo deferre. Deniq; falsum pro uero Principibus ingerere, sicuti ex hac historia cognoscere licet. Erat apud Rudolphum Palatinum Rheni circa annum domini 1296. praeter caeteros maxime auctoritatis Otto Crondorffer, obscuris parentibus ortus, pauper, sed ingeniosus. Is ubi in aulam Palatini uenerat, obsequium Principi accurate praestabat, mandata gnauiter exequabatur, unde breui Palatino charus, & accessus, per gradusq; paulatim dignitatis quosq; ascendendo, tandem ad Vicariam operam, maximum secundum Principem honorem euectus, questor totius Provinciae factus est. Fretus ergo auctoritate, qua apud Rudolphum ualebat, nimium sibi indulgere, petulantius de matre Rudolphi loqui, discordias inter filium, & matrem serere cepit. Hanc ob causam grauiter utrisq;



uscq; animum commouit, utriusq; iram meritus est: Quamobrem captus à Rudolpho in uincula conijcitur, quæstionibus admotus, multa confitetur. Postea apud Dachaw eidem septimo Cal. Maij oculi eruuntur, lingua nimis procax amputatur. Potuisset hic Otto magno honore, & commoditate uti, si in ore sæpius habuisset, potentum offensas uitandas, aut regum manus longas esse. Sed quisquis maleuolus est, suo studio gaudens, sibi temperare non potest: donec fati necessitas eundem præcipitem dat.

Caput LVII.  
DE ALBERTO REGE  
Romanorum.

**A**lbertus ex duce Austriæ Rex Romanorum Francofordiæ, occiso Adolpho, 6. Cal. Augusti anno 1298. creatus est, Fuit is Rudolphi Habsburgensis Imp. filius, bello superauit Adolphum Cæsarem. In Boemiæ expeditionem parauit, & filium suum regem Boemiæ constituit. Boios sibi aduersantes domuit. Cum autem uinci Albertus nequiret, oblatum est illi uenenum. Quod cum Medici summa uicere uellent, uis tanta ueneni fuit, ut & si per nares, & os exiret, tamen oculus unum corruptit, Unde sepe monoculus Rex dicebatur. Princeps fuit fortissimus, & bellicosissimus, duodecies collatis signis semper uictor exitit, ob quod à scriptoribus

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

à scriptoribus rerum Triumphator cognominatus est. Habebat in aula sua Albertus fratris filium Ioannem, cuius bona tutores curabant. Ioannes ductus prauorum consilio, quasi dux esset, sine terra, petere à patruo suum patrimonium maternum incipit. Rex sub prandio coronam siue sertum Rosarum capiti Ioannis imposuit, quasi iam his rebus contentus, maiora petere intermitteret. Ioannes dux flens, coronam super mensam posuit, ampliusq; comedere noluit. Finito prandio, cum tribus alijs coniurationem facit. Hij erant Rudolphus à Vuart, Vualtherus de Eschenpach, & Vlricus de Palm. Cum autem Rex paucis post diebus Rheinfeldem peteret, Rhenumq; iam traiecisset, consensu equo suo, in eundem coniurati irruunt. Rudolphus de Vuart, q; diu (inquit) istud cadauer equitare permittimus, frenumq; equi apprehendens, procedendi uiam interclussit. Dux Ioannes enses collo regis infixit, Rudolphus de Vuart regem gladio perforauit. Vlricus de Palm faciem, & caput eius diuisit. Occisus est Albertus Cal. Maij anno Christi 1308. In quo loco Monasterium Kunigsfeld ordinis Minorum est constructum, in quo rex primum sepultus, postea Spiram translatus. Forte id ita uoluit Deus, ne caedes in Adolphum Caesarem commissa foret impunita, Deus enim caedes, & latrocinia inulta non finit. Occisores omnes fugati, & dispersi sunt. Ille de Palm Basileae in domo conuersarum diu uixit, tandem obiit. Vualtherus de Eschenpach



Eschenpach in Comitatu Vuirtembergensi pastor pecorum factus latuit, post annos 25. moriens, quis esset, dixit, honorifice sepultus est. Rudolphus de Vuart ligatus ad caudam equi, tractusq; ad locum supplicij, fractis membris, & dorso, rotæ impositus est. Ioannes dux exul ab Imperatore Hainrico captus, aliquandiu in uinculis detentus, tandem in habitu Eremitarum mortuus est. Sic periit optimus Princeps, cum regnasset annos decem. Percussores iusto Dei iudicio mulctati (uti dixi) perierunt. Nam lento quidem gradu ( ut inquit Val. Max.) procedit ira diuina, tarditatem autem supplicij grauitate compensat.

## Caput LVIII.

DE HAINRICHŌ COGNOMENTO *Frawenlob.*

**F**escennini carminis egregius artifex, & in componendis Germanicis cantilenis, quas omnes ad unius muliebris sexus laudem componebat, celebris habitus fuit Moguncix Hainricus natione Belga, ex quo studio uulgo, & ab omnibus cognomento (*Frawenlob*) dictus est. Composuit inter cætera, cantica canonicorum Germanicæ, quæ ipse (*Unser frawen laid*) inscripsit. Qui cum iam graui ætate onustus esset, rite Christiano more sacramentis sumptis, in domino conqueiuit. Funus eius à mulieribus ab hospicio suo ad lo-

N cum

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
cum sepulture deportatum, & deductum est. Audiffes  
lamentationes, & quærelas foeminarum infinitas, ob  
mortem tam boni uiri. Tanta deniq; in sepulchrum,  
eius uini copia fusa fuit à mulieribus, ut per totum am-  
bitum circumflueret uinum. Sepultus est honorificè in  
ambitu Ecclesię maioris Moguncię, iuxta scalas, Anno  
domini 1317, in uigilia S. Andree.

Caput LIX.  
DE SEYFRIDO SCHWEP-  
permanno.

Seyfridus Schweppermannus inter equestris ordi-  
nis uiros præstantissimus, rei militaris scientissimus,  
qui à teneris unguiculis ætatem in rebus bellicis egerat,  
Legatus, & supremus Capitaneus totius exercitus Lus-  
douici Rom. Imp. quarti Bauari, contra Fridericum  
Austriæ ducem pugnantis. Hic in prato proxime Muls-  
dorff ( *Dehwisen* uocant ) exercitum pro loco, atq;  
copijs conflicturus cum Friderico instruit, Ludouicum  
Cæsarem mutata ueste propter Aquilam in acie collo-  
cat. Omnes in unum Fridericum tela conijcere præci-  
pit. Ex utraq; parte concurritur, fit prælium atrox, &  
diu anceps. Boiemi ex parte Ludouici loco pelluntur,  
pedem retro referunt. Seyfridus Boiemis subuenit, fu-  
gientes reprimat, & in locum restituit, uirtuti dolum  
addit, aciem suorum uertit ita, ut puluis in oculos, atq;  
ora



ora hostium ferretur, & ex splendore armorum, solis  
 oppositione, lumina hostium perstringerentur. Qua  
 castigatione, Schweppermanni, Boiemi in prelium res-  
 deunt, & facta impressione, quos antea fugiebant, fus-  
 gere compellant. Victi tandē Austriaci cædunt. Rind-  
 maulus quidam nobilis Boius Friderico Austrio in-  
 stat. Tandem Fridericus uidens se solum cum paucis res-  
 lictum, deditioem Rindmaulo facit, à quo ad Ludou-  
 uicum deductus est. At Ludouicus receptui canit, suos,  
 qui tota die nihil comederant, curare corpora iubet.  
 Cum autem comatus defectu nihil, præter pauca oua,  
 quibus famem pellerent, aderat, præcepit Ludouicus,  
 unicuique ouū unum, Schweppermanno autem, cuius  
 industria uicerat, duo dare. Id quod in prouerbium  
 uulgo celsit. Factum est hoc prælium 4 Cal. Octobris,  
 anno Christi 1322. Vixit post hanc cladem aliquot an-  
 nis Schweppermannus, tandem uero anno domini  
 1337. moritur, atque in Monasterio Narischorum Castel-  
 lo, inter plures strenuos heroēs ante sacellum D. Virgi-  
 nis terræ mandatus est, cuius tumulo hij Germanici  
 Richmi super additi sunt.

Hie leyte begrabē Herz Seyfrid Schwepperman

Alles thüns vnd wandels an.

Ein Ritter keck / vnd vest /

Der zu Gunderstorff im streyt thet das best.

Er ist nun tod /

Dem Gott genad.

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
Jedem ain ay  
Dem frummen Schwepperman zway.

Caput LX.

QVOMODO LVIPOLDVS AV-  
striae dux Fridericum fratrem capti-  
uum liberare uoluerit.

POSTeaq̄ Fridericus Austriae dux à Ludouico Bava-  
ro Rom. Imp. uictus & captus esset, primo quidem  
ita captiuus ad Dornberg, deinde postero die Otingam  
ueterem deducitur, Hic coeunt Proceres, Tribuni, Dux-  
ces, & Capitanei, quorum consilio Reginoburgium  
in domum Gumperti, inde à Vuignano Vicario ad  
Trausnitz (arx est Nariscorum haud longe à Nabs-  
burg) abducitur, atq; ibidem captiuus detinebatur.  
Luitpoldus frater Friderici apud Pontificem, & regem  
Galliarum nullum non mouebat lapidem, ut fratrem  
liberaret captiuitate, sed nihil effecit. Postea cum esset in  
Austria, uenit ad eum quidam homo magicus, promit-  
tens se Fridericum saluum, & incolumem una hora ex  
uinculis in Austriam reducturum, si modo condignam  
Luitpoldus numeraret mercedem. Respondet Luitpol-  
dus, si hoc feceris, quod promittis, de mercede noli esse  
solicitus, recte enim tecum agam: Ut autem Magus  
specimen suae artis ederet, circulo, & characteribus fa-  
ctis coram Luitpoldo, euocauit malum spiritum. Qui  
statim



statim in forma uiatoris apparuit, mandatoq; à Mago accepto, in Boiariam auolat, custodiamq; ubi dux Fridericus detinebatur, ingreditur. Quo uiso, missus ad eum spiritus dixit, si ex captiuitate liberari uolueris, hunc equum ascende, & te sine ullo periculo ad fratrem in Austriam ducam. Cui Fridericus statim præsentis animo dixit, Quis tu es? Ad quem spiritus, noli interrogare quis sim ego, quia nihil ad rem, sed ascende protinus hunc equum, quem tibi exhibeo, & te saluum, atq; incolumem in Austriam reducam. Quibus auditis, horror quidam ducē, alioqui audacissimum, inuasit, signo Crucis se signauit, diuinumq; auxilium implorauit. Statim igitur spiritus malignus, cū nigro equo, quem Friderico exhibuerat, disparuit. Sunt qui scribant Dæmonem illum in forma Scholaris peregrinantis eidem apparuisse. Nam ipse Fridericus iam liberatus è uinculis, forte fortuna uidens huiusmodi scholarem, dixit suis, huiusmodi fuit ille, qui me ex uinculis in Trausnitz educere uoluit. Vouerat Fridericus in uinculis D. Augustino uotum, quod statim in Austriam reuersus Viennæ apud Augustinenses solenniter soluit, multis astantibus nobilibus, Ludouicus Cæsar cum Friderico hoste, post tres annos, & sex menses captiuitatis, benigne & humaniter egit. Deinde Fridericus cognomento pulcher liber dimissus regium nomen abiurat. Et ut Ludouico gratificaretur, ac ne uictus beneficio uideretur, nuncq; Austriacos Boijs candidatis Imperij com-

ILLVSTRIVM GERMANIAE

petitores fore, dat fidem, tabulisq; cauet: quas Ludouicus Barbatus Angilostadiensis Imperatori Friderico tercio, quo sibi fidem eius aduersus Ludouicum Gibbolum, filiū suum, sibi rebellantem, oppignoraret, resignasse, atq; reddidisse fertur. Fridericus dux Austriae tandem dissenteria resolutus animam exhalauit, in arce Austriae cui nomen Guetenstain est, anno salutis 1330. tredecima die Ianuarij, regia pompa in Monasterio, & domo Carthusiana à se fundata honorificè sepultus. Cuius ossa Ioannes Cuspinianus mandato D. Maximiliani Imp. una cum Laurentio Saurer Quæstore regio, lota, in loculos deposuit, anno Christi 1518.

Caput LXI.

QVOMODO LVDVICVS BA  
uarus Rom. Imp. quartus Reginoburgium capere clam uoluerit.

**R**atisponenses cum Hainrico eius nominis decimo tercio, duce Boiariae inferioris, contra Ludouicum quartum Rom. Imp. sentiebant, auxilia Hainrico mittebant. Pontificias quoq; partes aduersus Ludouicum tueri incipiebant, & sententię atq; fulmini Pont. Max. iam subscripscrant. Quamobrem Ludouicus ciuibus Ratisponensibus inensus, quos cum aperte oppugnare non posset, ad dolos conuersus, urbem tum liberam, sedem Principum Boiorum ueterem, & auis  
tam



tam recuperare clanculum, atq; infidijs, quod ui et aperte non licebat, nititur. Reginoburgensium quidam, precipuè duo, Præpositus, & Haimeramus, qui paucorum superbè, atq; auarè dominantium potentia oppressi, operam suam in hac re Cæsari pollicentur. In edibus Boiariæ regulorum, quæ muro hærent, & nunc in templum D. Egidij commutatæ sunt, cuniculos, quibus Cæsareani irreperent, Boiemo artifice fodiunt. Eo die, quo cuniculi Cæsareanis aperiendi, & hostes in urbem mittendi erant, nempe 14. Cal. Iunij, deo uolente, fossores duo deprehensi, in crucem acti sunt, à mœnibusq; pependerit. Artifex Boiemus auffugit. Consilium, ac conatus Imperatoris frustra fuit. Adhuc saxum huiusce facinoris monumentum ostenditur cum hac inscriptione. Anno domini 1337. des Erchtags vor S. Urbans tag / ward das loch gefunden / vnd zwen darinn gefangen / die das loch grüben / vnd warden des nächsten Erchtags darnach an die Sinnen gehangen.

## Caput LXII.

DE OTTONE LVDOVICI  
quarti, Rom. Imp. filio.

Otto minimus natu Ludouici 4. Rom. Imp. post patris obitum superioris Boiariæ partē obtinuit. Deinde mortuis duobus Ludouicis fratribus Germanis suis,

ILLVSTRIVM GERMANIAE

nis suis, ipse in omnibus possessionibus fratrum succedit. Brandenburgij Ludouici Romani principatum uniuersum: Tyrollij uero dignitatem, suffragium nempe in Comitibus Caesareis, titulum praefecti aërii, Imperatorij fisci, Reipublicæ procuracionem loco Menardi Ludouici senioris filij usurpat. Postea cum Tyrollios Austriaci sibi uendicarent, tedio negociorum forsitan coactus, Brandenburgium Carolo Imperatori aureolorum millibus ducentis aut ut alij scribunt, uili satis precio Marchiam aestimatam pro oppidis Lauffen & Herspruck, cum subiecto territorio, non longe à Norinberga uendit. Fuit autem Otto Caroli Imp. gener, nam eius filiam Annam uxorem habuit, sed nihil liberorum ex ea progeniuit. Verum Otto curiati Principis dignitatem, prerogatiuam suffragij retinet, uxore mortua in Boiariam migrat. Quinq; millia passuum infra Landshutam in Vuolffstain (arx est Isaræ imminens) habitabat, genio indulgebat, pecuniam ab Augusto acceptam prodigebat. Gretulam Pistoris uxorem adamat, quippe mola aquaria castello subdita, etiamnum Gretularia (die Gredel mühl) inde cognominari solet. Hanc ob causam idem Otto Finnius, id est ignauus, uulgo cognominatus est. Eius statua Landshutæ pro hostio sacelli quod ad dexteram in Asylo templi D. Martini conditum est, extat. Cum Stephanus Iordiam fratris grauiter ferret, atq; emendare eius mores non posset, moritur. Sequenti anno scilicet domini



13>6. idem Otto mortuus, in Salingthal sepultus est.

## Caput LXIII.

## DE VVALDMARO PISTORE.

**C**VM Vualdmarus ( qui & Volckmarus à quibusdā dicitur ) Brandenburgensis regulus absque liberis decesserat, Ludouicus 4. Ro. Imp. Brandenburgij principatum filio suo Ludouico maiori natu in fidem, atque tutelam, auctoritate Cæsarea committit. Interim Carolus regis Boiemiae filius contra Ludouicum Romanorum Rex declaratur. Qui cum non ab omnibus statibus Imperij reciperetur, sese in Boemia, usque ad mortem Ludouici Imperatoris continebat. Audita morte Ludouici, Carolus Reginoburgium, deinde Norinbergam petit. Quo tempore in Brandenburgensi regno Pistor quidam se Vualdmarum, Ludouici decessorem, cui quàm similis erat, simulat, ope, & armis Caroli Boiemii adiutus quasdam urbes Marchionatus Brandenburgensis capit. Eò Ludouicus Marchio filius Augusti quondam, cum Ruperto praefecto praetorio Rheni, Patruelis suo, infesto exercitu contendit, aduersus Pseudowaldmarum pugnat. Saxones iussu Caroli Boiemii impostori auxilium ferunt, Rupertum Palatinum capiunt, Ludouicum Marchia cedere cogunt. Is se Francofordiam confert, ibi in praesentia quorundā Principum Guntherus à Schwartzburg

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

enburg Cæsar constituitur, Carolus Boiemus uidens se nihil sine uiribus Boiorum efficere posse, Ludouicum Marchionem in colloquiū uocat, pacem suadet, & cum eo in gratiam redit: eidem Brandenburgensem ducatum, proscripto Vualdemaro Pistore, reddit, Rupertum redimit. Ita principatum, quem penè perdiderat, recuperat. Vualdemarus impostor relicto regno ad Pistrinum redit. Quid non audet mortalium cupido? ut etiam sordidæ conditionis homines, ad regna, & principatus aspirare cogat. Successu breuiter scelici inflatus homo, quæ sunt cogitanda, non cogitat. Et quia aduersus inmodicas cupiditates nullus prorsus stat terminus, huiusmodi finem cum dedecore tales homines sortiuntur. Neq; mirum est homines in peccata incidere, ubi nimia libido dominandi, honoris, Imperij, pecuniæ animos fragiles hominum pessundat.

### Caput LXIII.

#### DE Vfone REGE DANIAE.

**V**ermundus rex Daniæ in iuuentute sterilis, æuam sine prole peregit, in senecta filium sustulit Vfonem, corporis mole cito grandescens, sed lingua pigritante, hebeti sensu, & ingenio crasso, adeo ut non homo, sed statua putaretur. Vnde pater non semel se foelicem ratus, si filium non haberet, q̄ ea stoliditate beluam humana forma nutrire. Siquidem in iuuentute  
sua



sua nunq̄ ioci consuetudinem præbuit, atq̄ à ridendi officio sibi prorsus temperauit. Cum iam Vuermundus senio confectus oculorum usum amisisset, Saxonum Princeps, Legatos ad eum misit, qui peterent, ut uir grandæuus, atq̄ cæcus, sponte regno cederet Saxonibus. Superba hæc Legatorum petitio regem uehementer commouit, tamen, Saxonum Principem sibi posse succedere, cum ipse in fata concessisset, respondet. Non esse etiam satis modestum, senectutem iniuria molestare, lenius se arma, q̄ ignominiam ferre. Ad hæc Legati. Nihil opus esse armis, ad compendia transeamus, inquit, filium suum Saxonum Princeps, regis filio Vsoni opponet in duello. Astabat Legationi Vso filius Vuermundi, plenus indignatione, à patre loquendi ueniam deposcit. Rogat rex cæcus, & senex, quis nam licentiam loquendi peteret. Proceres Vsonem filium esse responderunt. Rex risum esse refert. Illi autem q̄ sanctè Vsonem esse affirmant. Fari rex iubet filium. Quando (inquit Vso) tam superba Legatione patri am maiestatem, & regiam dignitatem Saxones contuminant, scire illos par sit, esse regis seni filium, qui geminos ex Saxonibus prouocet in certamen: regis uestri prodeat filius, armigero, quem uelit, comitatus, ego unus geminos excipiam. Tum pater. Cur, inquit, filium, tam diu tacuisti? Ad quod Vso. Quam diu pater tu integer uiribus regnum administraisti, nihil opus fuit meo auxilio, ubi uero ætatis tuæ annos, hostes in ludibrium

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

brium uertunt, tempus esse cogito, te parentem defendere, & forti manu te patre dignum filium ostendere. Quid multa? pugne locus & tempus praescribitur. Pater & si caecus tamen abesse noluit. Gladium unum ceteris incomparabilem pater in delicijs habebat, hunc solum filio parem sperabat, quando caeteri ad primum ictum, & uibrationem dissiluerunt, eundem igitur gladium filio dat. Prodit hinc Danus, inde Saxones duo. Primus armiger Saxonis ictum facit. Quem Vfo excipiens, caput instantis, ense sublato altius medium dissecat. Caecus ictum audiens, rogat factum. Responsum est Vfonem uno ictu hostem peremisse. Succedit in pugna Saxonis filius, quem & Vfo facile perturbat, & uincit. Quo audito, pater in laeticiam soluitur, filium uictorem amplectitur, successoremque regni declarat illum, qui iugum a Dania in Saxones transtulit. Generosi animi in Vfone uiuax uirtus diu latere potuit, uerum semel excitata extingui, aut uinci non potuit, imo tantum meruit, ut apud hostes uenerabilis, atque admiranda fuerit. Nec equitas permittit regum filios extraneis cedere.

### Caput LXV.

## DE HERMETRUDA REGINA Daniae.

**A**Mbletus regia stirpe apud Danos natus, Hermetrudam Anglorum regis filiam uxorem duxit. Vuicletus



Vuicletus autem per uim regno Daniæ potitus, Ambletum summo odio prosequabatur. Quam rem Ambletus summa moderatione animi tulit, ad eò ut etiam Vuigletum beneficijs ulro suum facere studeret. Interea cum sese bene gereret Ambletus, effecit ut regni proceres ipsum pro rege haberent. Quare ex simultate illa Vuicleti diutina in apertum bellum peruentum est. Ambletus regem in fugam conuertit. Rex uero reparsatis uiribus rursus Ambleto bellum denunciat. Quamquam autem Ambletus quietis iam cupidus esset, tamen peruenit in uiro bellicoso, bellici splendoris respectus. Tanta denique charitate Hermetrudæ tenebatur, ut plus futuræ uiduitatis suæ coniugis, quam propriæ necis sollicitudinem cogitaret. Vicissim Hermetruda apud maritum uirilem professa fiduciam, deestabilem, inquit, sceminam esse, quæ cum marito mori dubitaret. Ego mihi coniunx, quem per maria sequuta sum, etiam in terra pugnantem, non deseram: idem mihi qui tibi futurus sit uitæ exitus. Credidit ille, & eo magis in bellum profectus est. Sed posteaquam acriter pugnatum est ex utraque parte, Ambletus ab hoste truculento occisus est. Ibi tum egregia scilicet coniunx, oblita promissi, animum mutauit, atque in amplexus, predamque Vuicleti uictoris concessit. Ita uota mulierum temporum breuis mutatio dissoluit: quoniam fides muliebris animi lubrico nititur uestigio. Denique sicuti mulier ad pollicendum facilis est, ita ad libidinem nouam explendam, nunquam segni inuenitur.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput LXVI.

DE DECEBALO REGE

Daciae.

**S**Vb Traiano Rom. Imp. grauisimum bellum po-  
 spulo Romano cum Dacis, quos hodie Transylua-  
 nos, & Septemcastrenses uocamus, fuit. Quo tempore  
 Dacorum Rex erat Decebalus, forte gentilicia lingua à  
 malis factis (Thusybel /) uel ut quidam uolunt (Dece-  
 bol) dictus. Fuit autem Decebalus in cognoscendis res-  
 bus bellicis perspicax, in agendo solers, promptus ad in-  
 uadendum hostes, et ad regrediendum, si res ita postu-  
 laret, celerrimus. Denique insidias struere optimè noue-  
 rat, praelium committere, uti uictoria, & acceptam clas-  
 sem ferre moderatè, rectissimè consueuerat. Quàm-  
 obrem grauisimus fuit aduersarius Romanis. Primum  
 ad foedus à Traiano cum caeteris Germanis, Daci illecti  
 fuerunt. Verum deinde uiribus Parthorum freti, pa-  
 cem exeunt, foedus rumpunt. Interim Romanis nun-  
 ciatur, Decebalum multa contra foedus facere, arma  
 comparare, transfugas recipere, arces instaurare, finiti-  
 mas nationes per Legatos ad defectionem sollicitare.  
 Ob has igitur causas, Decebalus iterum à Senatu Ro-  
 hostis iudicatur. Traianus id bellum per se, et non per ali-  
 os duces confecit, cum copijs Danubium transit. Vbi  
 in castris suis ferè à sicarijs, à Decebalo inmissis, confoso-  
 sus erat. Buri gentes Boiorum, fungum ad Traianum  
 miserè,



miserè, in quo scriptum erat latinis literis, Buros, socios  
 eorum omnes, à Traiano petere, ut pace facta, domum  
 reuerteretur. Verum Traianus hæc non curans, bellum  
 continuat. Postq̃; autem Decebalus uidet, se imparè ui-  
 ribus esse, sibi de futuro prospexit, Thesauros suos om-  
 nes abscondit. Et ne à quoq̃; occuparentur, Sergetiæ  
 fluuij alueo, opera captiuorum, auerso, perfossoq̃; ma-  
 gnam uim argenti, auricq̃; tum præciosissimas quasq̃;  
 res, atq̃; delicatissimas, quæ cõseruari poterant, eo con-  
 gessit, n̄q̃; rebus, magnis lapidibus, aggeribusq̃; tectis,  
 flumen pristino alueo restituit, seruosq̃; captiuos, pera-  
 cto negotio, iussit occidi, ne, quod actum erat, patefa-  
 cerent. Hunc ingentem Thesaurum apud Pergamum  
 Asiæ, à Philerato relictum, Lysimachus rex in Thraci-  
 am, sibi parentem, tulit; & cum filium Agathoclem à  
 Getis in Transyluania captũ liberaret, signasse aurum,  
 cuius nimirum ingens uis, per manus maiorum ad De-  
 cebalum peruenit. Qui obiectam Thraciæ oram (mõ-  
 do in Transyluaniam, et Transalpinam diuisam) inco-  
 lebat. Traianus intrepidus cum Dacis conflixit, hos-  
 temq̃; fudit. Totam Daciam trans Danubium in Bar-  
 barico solo subegit, atq̃; in Prouinciæ formam redegit.  
 Segerhusa regia, & sedes Decebali (quæ nunc Coronã  
 nuncupatur) ui capta est. Multa in eo bello Traianus  
 strenui Imperatoris, ac uiri fortis facinora ædidiit, mul-  
 taq̃; pericula milites eius adierunt. Decebalus postq̃; re-  
 giam, regionemq̃; suam omnem captam esse cogno-  
 uit,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

uit, imminereq; periculum, ne ipse quoq; caperetur, manus sibi uiolentas attulit. Eius caput Romam perlatum est, & Dacia in potestatem Romanorum uenit, in eamq; Traianus Colonias deduxit. Bicilis, siue Biculis, socius et familiaris Decebali captus, Thesauros absconditos indicauit. Ita non uulgarem eiusce monetæ copiam Romanus inuenit, ut monumentū testatur, quod adhuc in Transyluania superest. Accidit uero, ut reliquum nostra ætate piscatores Valachij, in fornice quadam aquis subiecta, arbore, quæ supra creuerat, in ruinas concidente, eruerint. Vnde Georgius Monachus, & Multaui non dicendam auri uim asportarunt, numis etiam ex his bis mille ad Ferdinandum Cæsarem perlatis, quorū singuli pondere tres ducatos æquarent.

### Caput LXVII.

#### DE THEODONE DVCE BOIORUM eius nominis secundo cognomento Magno.

**T**heodo primus dux Boiorum contra Romanos in Vindelico regnantes bellū grauisimum suscepit, & cum expeditionem in Noricum meditatur atq; iam castra Romana proxime Otingam inuadere uellet, quarto anno postq; Vindeliciam inuasit natura concedit anno Christi 511. Duos post se reliquit filios, Theodonem cognomento Magnum, & Vilonem.  
Hic



Hic qđ egregia uirtute cognitus erat, Marchio Antz  
 uerpiensis factus est, sororemq; Theodorici regis Fran-  
 corum uxore duxit. Ab hoc Vtilone Carolus Magnus  
 profapiam ducit, sicuti hij testantur, qui Boiariæ Prin-  
 cipum stemma describere. Boij Theodonem fratrem  
 Vtilonis rebus imponunt, et ducem sibi faciunt. Quod  
 cum Anastasius Rom. Imp. audiret, Legatos suos ad  
 Theodonem mittit, ut fedus & amicitiam cū Boijs fa-  
 ceret. Theodo Anastasij legatis respondet, sibi nihil rei  
 cum Romanis esse, aliud habere qđ agat. Theodo in-  
 paciens moræ, & finiendi belli, quod pater inceperat,  
 cupidus, Romanos de improviso inuadit. Romani un-  
 diq; circumuenti, cęsi ad internecionem, pauci ex Boijs  
 desiderati sunt, año scilicet Christi 520. locus ibi adhuc  
 (Mordfeld) uocatur. Deinde regulus Boiorum cum  
 copijs suis procedit, oram Oeni, usq; ad angustias alpi-  
 um subigit. Tumultuarium prælium cum Romanis  
 proxime Rod Monasterium fuisse proditur, eo loco,  
 qui ab accolis (Streytanger) uocatur. Theodo uer-  
 sus Augustam Vindelicorum, ubi nunc Monasterium  
 Schefflar est, exercitum ducit. Boij acie intenta inter  
 amnes Isaram & Manguoldā ubi planicies est, (Per-  
 lacher hayd) cognomine, procedunt, statim armis  
 concurritur, uictoria penes Boios fuit. Augusta Vinde-  
 licorum euersa est, & solo equata. Rector Boiorum Al-  
 pium tenus cuncta terrarum sibi subiecit. Potitus tota  
 Vindelicia Theodo, per peritos locorum ad Inutrium  
 P. (Mitten)

ILLVSTRIVM GERMANIAE

(Mittenwald) pulsus ubiq; praesidijs Rom. penetrat. Romani fugere uersus Italiam coeperunt, Boij insequunt, & usq; ad Pyreni montis proxime Stortzing planiciem perueniunt. Ibi Romanus restitit, sed repulsus. Inde inter Brixiam, & Sabonam prelium redintegratur. Boij superiores facti Romanos sternunt, fundunt. Proxime Pisonium (Bogen) Romanorum legiones conueniunt, castra locant, pro salute ultimam belli aleam tentaturi. Inter Tridentum, & Pisonium ultimum certamen Boijs, & Romanis fuit. Profligatis iterum Romanis, uictor Theodo fontem Asinorum (Eselbrunn) non procul a Pisonio, terminum inter Boios, Italosq; designauit. Pisonio & limiti Athesino Marchionem praefecit, qui longo post tempore Comitis Tyrollensis nomen accepit. Theodo parua uictoria Reginoburgium redijt, ibiq; ueluti in medio Boiarie consedit. Rebus omnibus pacatis ad pacis artes animum intendit, iusticiaq; populum formare constituit, & leges dedit. Boij tum gentiles erant. Sunt autem qui tradunt hunc Theodonem non abhorruisse a pietate Christiana, ad eumq; uenisse D. Rupertum Anno Christi 536. & Baptisatum fuisse, nisi Boiorum proceres denegassent, qui se non posse deserere auitas ceremonias, clamabant, unde Theodo a proposito discedere coactus fuit. Quo tempore Theodo pacem genti suae peperit, Boijs sedes fixas, stareasq; adsignauit. Posteaq; igitur Noricum & Vindeliciam sub imperium suum coegit, haec Prouinciae



VIRORVM HISTORIAE: 58

Prouinciæ in nomen Boiorum cessere, potestatis sexto & uigesimo anno mortem obiit, anno à nato Christo quingentesimo super septimum, & tricesimum. Reli- quit tres filios, qui Boiariam in tres partes inter se diuiserunt. Quorum Theodo tertius eius nominis dux Boiorum, fidem Christi, cum omni sua Prouincia recepit, & Baptisatus est à S. Ruperto Reginoburgi. Ob hoc ipse S. Rupertus Boiorum Apostolus dictus est.

Caput LXVIII.  
DE S. EMERAMO.

**S.** Emeramus Aquitanus natione, circiter annum domini 642. Pictonum Episcopus fuit. Qui cum audiret Auares populos Pannoniæ Christianismo nondum instructos, Episcopatum relinquit, ad Auares proficiscitur. In qua profectioe Ratisponam uenit, ubi à Theodone duce Boiorum eius nominis quinto, honorifice exceptus est, rogatusque ut quod antea S. Rupertus in Boiaria plantasset, ipse aqua salutaris doctrinæ rigaret. Fuit hic Theodo filius Thessaloni secundi ducis Boiorum. Patre mortuo tres filij Boiariam in tres partes diuidunt, Theodoni Reginoburgium sorte euenerat, cum alijs circumiacentibus ciuitatibus. Huic Theodoni filia erat nomine Vta. Hæc à Segibocho quodam decurione Equestri grauida facta est. Intumescente iam utero proditur flagitium. Vta D. Haimeramum Pontificem

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
tificem ( qui tum forte fortuna pietatis ergo Romam  
uersus, ante tres duntaxat dies, Reginoburgio profectus  
erat ) ceu authorem culpæ parenti indicat. Vbi Land-  
pertus frater puellæ hoc accepit, sororis ignominia  
com motus, Pontificem apud Helffendorff ( Pagus est  
in superiore Boiaria, inter Oenum & Isaram amnes )  
consequitur; iraq; percitus, eundem comprehendit, su-  
pra scalas duriter ligat, membratim dissecat, seminecēq;  
relinquit. Mox tamen innocentia Pontificis cęlestibus  
miraculis patet. Populus membra Emerami colligit,  
ad Isaram portant, nauī imponunt, atq; Reginoburgi-  
um deferūt. Obuiam certatim effunduntur dux Theo-  
do, proceres, ciues, sacerdotes omnes, & Laici utriusq;  
sexus, Pontificis corpus honorifice excipiūt, in templo  
D. Georgij extra mœnia urbis cōdunt. Regulus Theo-  
do, ut infontis. Episcopi cędes manifesto aliquo piaculo  
lueretur, ibi ædem per quam amplam ædificat, D. Bes-  
nedicti Ceremonijs & Monachis dicat. Cui templo  
D. Emeramus celebre nomen apud posteros fecit.  
Theodo dux Vtam filiam in Italiam relegat,  
Landpertus profugus apud Auares in  
Hunia, atq; Pannonia obiit.  
Stirps Theodonis om-  
nino defecit.

Caput



DE RABODO FRISIO  
num Duce.

**C**Arolus Martellus Francorum Princeps ante Bonifacij tempora circa annum domini 734. Frisijs subactis, idola deorum gentilium deiecit, coegitq; Frisios ut simul omnes Christum colerent, profiterenturq;. Ibi tum Frisiorum dux Rabodus, qui & Rapotus, à quibusdam Richardus dicitur, coactus fuit suscipere Baptismum. Missus est autem Vuolfframus ( qui & Valurammius ) Episcopus Senonensis uir pius, & religiosus, qui ducem in fide informaret, suoq; suasu, & adhortatione moneret, ut Christi fidem assumeret. Factumq; est, ut cū iam lustrali aqua tingendus esset altero tantum pede merso, quereretur, quò nam maiores sui concessissent, an in inferno, aut in paradiso cohabitarent? Respondit Episcopus, omnes à Christo alienos, in perditionem æternam abiisse. Tum repente educto pede ex lauacro, fatius est inquit, plures sequar, q̄ paucos: contestor itaq; me quoq; eò profecturum, quò maiorum meorum cetus omnis demigravit. Sed non diu lætatus hoc contemptu religionis Christianæ, ludificatus à Dæmone quum sibi per multa bona in annos plurimos promitteret, tertia die repentina morte extinctus, pœnam neglectæ & contemptæ religionis persoluit. Vuolfframus per Prouinciã discurrens semen dei

ILLVSTRIVM GERMANIAE

sparsit, Euangelium prædicauit, omnemq; gentem illo  
lam ad Christum conuertit. Deterrita quippe plebs ex  
emplo Ducis, relicto malorum spirituum cultu ad Chris  
stum conuersa, salutem animarum suarum quæsiuit, &  
sine dubio, autoritate tanti Præsulis, inuenit.

Caput LXX.

DE CAROLO CRASSO RO.

Imp. eius nominis tercio.

**C**Arolus à corporis pinguedine Crassus, à quibus  
dam ab ocio, et ignauia maleferiatus cognomento  
dictus, filius fuit Ludouici regis Germaniæ ex Hemma  
uxore, natus in Germania. Quinto Cal. Septembris  
anno salutis 876. regnare cum fratribus suis Carolo  
manno, & Ludouico coepit in Germania. Deinde elec  
tus Imperator anno Christi 899. consecratus Romæ à  
Ioanne S. P. anno domini 881. die natalis Christi. Prin  
ceps fuit religioni omnino deditus, deum timens, &  
mandata eius ex toto corde custodiens: in Eleemosinis  
largus, orationi & Psalmis indefinenter addictus, om  
nem spem diuinæ dispensationi committens, Deoq;  
omnes cogitatus suos deuouit. Vnde ab initio regno  
rum suorum fortunatissimus fuit. Sed summis nega  
tum est stare diu. Saracenos in Italia uicit. Galliam post  
hæc pacauit. Ex Gallia rediens in Asia grauis mor  
bis dolore decumbit, cui incisionem ederi, ob atrocissi  
mos



mos morbi cruciatus coactus est. Recuperata sanitate in  
 Sueuiam redijt. Vxorem habuit Richardim filiam regis  
 Scotiae, foeminam sanctimonia uitae, & castitate in-  
 signem. Cum iam Carolus in Germaniam redijset,  
 Luithardus Magister Epistolarum à Sueuorum pro-  
 ceribus adulterij insimulatur, quod familiarius, q̄ do-  
 mus Caesareae Maiestatis postularer, cum Augusta ui-  
 ueret, dignitate mouetur. Ex quo facto Carolus Zelo-  
 typus factus, uxorem publicè accusat. Richardis tam  
 atroci contumelia affecta, candenti ferro crimen adulte-  
 rij obiectum diluit, diuinoq̄ iudicio rumorem sinis-  
 trum coarguit. Deinde haud unq̄ tactam se, neq̄ à  
 Caesare, neq̄ à quoq̄ alio mortalium uiolatam esse per-  
 sancte deierat. Postea apertè confessa est se impotentis  
 am uiri tot annis celasse, & se uirginē adhuc esse obste-  
 tricibus probantibus comprobauit, unde misso, ac re-  
 misso repudio, ipsa in Monasterium Andelaw abiit,  
 dicens, ego amplius tali uiro non cohabitabo. In quo  
 Monasterio perpetuo uixit, mortua, & sepulta est. Car-  
 olus post repudium factum iterum asperrima aegritu-  
 dine afficitur, non solum corporis, uerū animi quoq̄  
 uigorem amisit, Ingenio, mente, ratione, memoria, uis-  
 ribus torpescere, & puerascere cepit. Quod cum status  
 Imperij cernerent, ab eo tamq̄ desipiente, ac plane iam  
 delirante deficiunt, eundemq̄ ab Imperio detrudunt.  
 In cuius locum Arnulphus, quarto Idus Nouembris  
 anno domini 887. substituitur. Carolus ab omnibus  
 desertus,

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
desertus, ne uno quidem ministerij, misericordiae  
caussa remanente, triduo in summa egestate fuit: fame  
perisset, nisi Luitpertus Moguntinus Archimystes,  
commiseratus uersatilem rerum humanarum sortem,  
eum aliquot dies pauisset. Post haec uitam priuatam de-  
git, in tanta egestate uixit, ut saepius quotidiani uictus  
penuriam sentiret. Adiutus tandem ab Arnulpho Ro.  
Imp. quem etiam suplex rogauerat, ne fame periret,  
subsidio. Arnulphus igitur Carolo Nidingam pa-  
gum Sueuiae, ubi habitaret, concessit, redditus eiusdem  
uici, unde uictitaret, tribuit. Primus fuisse legitur, qui a  
natiuitate Christi annos ad literas ad absentes mitten-  
das addidit, quem morem huc usq; omnes obseruant.  
Nam antea & sub Augusto Caesare, ad Epistolas om-  
nes, horarum quoq; momenta, nec non diei, sed & no-  
ctis, quibus datae significarentur, addi ceptum est. Mors  
tandem pauper sine honore, in Augea Maiori  
Monasterio prope Constantiam, humili, ac abiecto  
monumento sepultus, secundo Idus Ianuarij anno do-  
mini 888. cuius sepulchro hoc Epitaphium inscriptum  
legitur. CAROLVS REX GERMANO-  
RVM, PATRICIVS FRANCORVM,  
ROMANORVMQVE IMPERATOR.  
Scribunt quidam Carolũ hunc a suis domesticis fran-  
gulatum. Res digna, & aeterna memoria committenda,  
diuitibusq; animaduertenda, quod ipsius fortunae  
tanta uis fit, ut & regibus non parcat, Patientissime  
hanc



hanc fortunæ mutationem tulit Carolus, & ideo coronam uitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, iam accepit, aut sine dubio cum Christus iudicaturus mundum uenerit, accepturus est, Carolo unicum filium Bernardum tribuunt authores, quem ex pellice habuit, de quo tamen nihil certi habemus, nisi quod Carolus moriens eundem Arnulpho commendauerit,

## Caput LXXI.

DE VVENTZESLAO BOIEMIAE  
duce, & Christi Martyre.

**V**Radislaus Boiemia dux ex Drabonucia (quæ & Drachomira dicta fuit) uxore duos reliquit filios, Vuentzeslaum, & Boleslaum. Drabonucia mulier audax et ad scelera quæuis prona semper erat, Vuentzeslaum Ludmilla auia, Boleslaum mater Drabonucia enutriuit, Illa Christiana, hæc gentilis erat. Alumni igitur ex nutricibus imitati mores, Vuentzeslaus pietatem Christi, Boleslaus idolorum culturam sectabatur. Ægre ferebat Drabonucia Vuentzeslaum Christi cultorem esse, socrum Ludmillam strangulari fecit. Ipsa deinde Imperium suscepit, Inter fratres adultos iam ducatus diuiditur. Pars Boleslao, quem mater moribus suis congruentem, secuta est, datur. Vuentzeslaus Principis thronum solus Pragæ obtinuit. Hic noctibus intente ad psallendos psalmos, laudescq; Deo dicēdas utebatur:

Q interdiu

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

interdium plura pietatis officia exercebat, languentes inuisendo, nudos uestiendo, pauperes sustentando. In Comitijs Imperialibus cum esset Vuentzeslaus, Otto Magnus Rom. Imp. illi non solum reliquias S. Viti, cum alijs donat, sed etiam regem creare uoluit. Verum Vuentzeslaus se regem inungi nullo pacto sustinuit. Quamquam à Caesare, atque alijs regibus, & principibus Rex in Epistolis salutaretur. Interim Drabonucia disruppi pro inuidia, Boleslaum fratri praefere cogitat, atque occidendi Vuentzeslaum consilium sumit. Vuentzeslaus iam tedio uitae aulicae, & curarum publicarum, relinquere mundum, & in Monachum tonderi cogitabat. Sed non potuerunt animae, mater & frater sancti uiri propositum expectare, impatientesque morae, piam intentionem scelere praueeniunt, conceptum iam pridem de tollendo Vuentzeslao parricidium, exequi properant. Natalis dies aderat infantuli recens ex Boleslao editi paratur conuiuium regale, uocatur Vuentzeslaus, se uenturum promittit. Boleslaus fratri obuiam procedit, eundem amplectitur, gratulatur aduentui. Mater blandissime cum filio Vuentzeslao ex composito agit, rogat bono animo sit, & quid ualeat, quid nam fieri uelit. quo colloquio in seram noctem conuiuium protrahit. At Vuentzeslaus quamquam intelligeret, quo nam tenderent blandiciae, non tamen obmisit, quin de media nocte surgens iret in templum, ut orationes solitas Deo solueret. In ea re occupatum, inuadit Boleslaus  
frater,



frater, ac primo ab ictu suo frustratur, ense sibi de manibus, ob insperatum stuporem elapso, mox redeunte ira, ictum repetit, inermemq; fratrem interficit. Ita uerum esse liquet, quod dicitur, dominandi cupidinem omnem affectum excludere, adeo ut nec parentibus in hoc casu plurimi abstinuere. Eadem nocte Rex Daniae testatur se admonitum, ut Martyris Vuentzeslai memoriam sibi colendam susciperet, id quomodo ab ipso factum sit, templum D. Vuentzeslao in Dania dedicatum, declarat. Non longo tempore post, quo grauior poena appareret, terra sua sponte dehiscens, uiuam Drabonuciam, una cum curru, & ijs, qui simul uehebantur, absorbuit. Fuit Vuentzeslaus potus, cibiq; parcissimus, corporis maiestate decorus, uirginitatemq; ad ultimam uitae diem seruauit. Inter sanctos relatus, hodie etiam colitur.

Otto Magnus Rom. Imp. quatuordecim annorum bello, uastata gente Boiommum, mortem Vuentzeslai uindictam cauit. Occisus est Vuentzeslaus à fratre sub Ottonone Imp. Anno Christi 937.

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput LXXII.

## DE BABONE BARONE

in Abensperg.

**B**Abō Comes de Ror, & liber Baro de Abensperg  
ex duabus legitimis uxoribus triginta filios, uel (ut  
fama adhuc est) duos & triginta, atq; octo filias tulit,  
totq; liberos superstites, sicuti in Fastis Monasterij  
Vueltenburg, et luuauensium legitur reliquit. Vixit au-  
tem hic Babo sub D. Hainrico Rom. Imp. fuitq; D.  
Chunegundæ aulæ præfectus. Contigit autem cum  
Cæsar Reginoburgij circa annum domini 1015. habi-  
taret, atq; solatiij causa uenationem indixisset, Babo-  
nem una Venatum ire iussit cum paucis comitibus. Ba-  
bo sperans se tempus opportunum nactum, quo liberos  
suos Cæsari commendaret. Quare iuuenes scitos ad-  
modum, cultu egregie ornat, unicuiq; comitem adiun-  
git, cum tali filiorum comitatu, ad Imperatorem Vena-  
tum uenit. Cæsar uisa multitudine comitum, Babonem  
uocat, sciscitaturq; cur nam, cum paucis uenire iussus,  
tot equites, adduceret? Babo respondet, cum uno equi-  
dem duntaxat famulo prestosum. Qui igitur alij sunt,  
inquit Augustus? Suscipit Babo, tui famuli, filij mei le-  
gitimi, quos tuæ Maiestati exhibeo, commendo, dono-  
do; quos ut ingenuam decet sobolem, maxima cura  
educaui. Imperator singulos appellat, dextra & osculo  
excipit, filios nuncupat, secum in aula consistere iubet.  
Omnes



Omnes & singulos paulatim predijs stipendiarijs, ca-  
stellis, & vicis collocupletauit. A quibus plurimi Co-  
mites, Nobilesq; Narischorum, Vindelicorum, Norico-  
rum, Charionum, Boiorum, & Francorum genus tra-  
hunt. Hinc enim originem ducunt Comites & liberi  
Barones de Ror, Riettenburg, Stephaning, Raning,  
Lengfeld, Calmuntz, Bogen, Roteneck & alij qui-  
dam, sicuti ex authenticis authoribus clarissime patet, &  
Ioannes Auentinus non in uno loco Annalium suo-  
rum refert.

## Caput LXXIII.

DE IOANNE COGNOMEN-  
to de temporibus.

**V**erum esse nemo dubitare debet, homines primæ  
ui seculi, ante diluuium ultra nongentos annos  
uersus millenarium procedendo uixisse. Nam cum ab  
initio creationis essent homines religiosi, ut Iosephus  
testatur, atq; ab ipso Deo omnium creatore facti, & eis  
pabula salubriora, oportunioraq; ad maius tempus exis-  
terent præparata, tantorum igitur annorum circulis  
rite, & bene uiuebant. Deniq; & ipse Deus propter uir-  
tutum augmenta, ac gloriosa uariarum rerum inuenta,  
ampliora uiuendi spacia hominibus condonauit. Post  
diluuium autem dominus tempus uitæ humanæ cen-  
tum & uiginti annorum constituit. Quamuis plures

Q. iij. etiam

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

etiam inuenti sunt, qui ultra illud definitum tempus uixere, ratione forsan optimæ complexionis, sicuti Noe, adhuc post diluuium annos uixit 350. cum antea haberet ætatis annos 600. Nostra ætate tempus uitæ humanæ in bona ualetudine usq; ad 70. aut in melius complexionatis ad 80. annum protendi aliquando potest. Videmus uix quinquaginta annos uitæ esse in plerisque, ut taceam de sexaginta uitæ annis, in quibus paucissimi inueniuntur, qui nō canis perfundantur. Et certe quod est ultra sexagesimum uitæ annum, nihil aliud q̄ labor, & dolor est. Quoniam secundū Dauidem omnes dies nostri defecerunt, & dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Omnia deficiunt, ob mundi senectutem. Nec enim solum hominis ætas decrescit, & inmixta uidetur, sed etiam aliarum rerum omnium, plantarum, arborum, herbarum, Item animalium uires languidiores factæ sunt. Deniq; regna, Respublicæ, constitutiones, prouinciæ omnes in hac ultima mundi senectate decrescunt. Quatuor sunt quæ hominum naturam eneruant, uitæ breuioris, ac morbosæ efficiunt, crapula, curæ, calor externus, ac aëris siccitas. Sunt regiones quæ hominum uitam ad centesimum uigesimum annum producant, præsertim Britannia, India, atq; Ægyptus. Memorabile autem, & bene notandum in Ioanne cosmogonem de temporibus, siue Polychrono. Qui ut est in Chronicis tempore Caroli Magni, cuius etiam armiger fuisse legitur, diutissimè uixit, & cum contra communem



communem hominum uiuendi morem annos uitæ trecentos sexaginta unum superasset, in Gallijs moritur anno Christi 1146. Quod quidem ego diuinitus contigisse Ioanni puto, ut uiderent homines, Deum eundem esse, qui fuit: eadem posse, quæ potuit: idem uelle, quod uoluit anteq̃ Noë Archam ingrederetur. Post hunc Ioannem, & ante eundem, non est dubium, quin plures ad plurimos uitæ annos peruenerint. Sicuti de Isacio, D. Mariani Scoti conterraneo legitur, qui centum, & uiginti annos uitæ compleuit, ut interim de S. Ioanne Euangelista taceam, qui ad 124 annos ætatis peruersisse legitur.

## Caput LXXIII.

DE VENDA CRACI DV,  
cis Poloniæ filia.

Cracus uir prudentia, animi magnitudine, iusticiæ, atq̃ integritatis opinione, apud omnes graciosus, & acceptus, de suo nomine Cracouiam regni hodie caput edificauit. Mortuus tandem, duos filios, et unicam filiam reliquit. Poloni utroq̃ filio Craci orbati, Venda filia superstiti, uirgini Principatum tradunt, tam gratam sui memoriam Cracus apud Polonos reliquerat, ut etiam filiam non excluderent. Ea spe ducti, quod aliquem Principem de externis regibus, coniugio uirginis inuitatum, habituri essent. Erat Venda puella supra modum

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

modum elegans, & uenustissima. Quo tempore inter Teutones quidam illustris, et potens Princeps erat Rudigerus nomine, qui missis oratoribus Vendam uxorem cum Principatu petit. At illa excelsi animi uirago, negabat se cuiquam nupturam: Principem se, q̄ Principis uxorem, esse malle. Indigne hanc repulsam ferens Rudigerus, armis negatum coniugium, atq; Principatum persequi, ac acquirere statuit. Nec segnius Venda cum expeditis suorum copijs hosti occurrit. Hic rursus ad eam misit Rudigerus, preces, & minas miscens. Lesgati negotio infecto redeunt, puellae pulchritudinem, & animum eius ad bella, q̄ ad nuptias paratiorem res nunciant. Quibus auditis Teutones Principem suum orabant, ne ob intempestiuum amorem, tam turpiter se, suosq; in periculum conijciat. In glorium uero cum foemina certamen, etiam si exploratam haberet uictoriam. Ille ubi suorum animos agnouit, cum amoris impatientia, tum ignominiae conscientia, quod sine ullo praelio à muliere uictus esset, mortē sibi proprijs manibus consciiuit. Teutones facta pace cum Venda, finibus Poloniae decesserūt. Marcomannos, uel Saxones fuisse illos coniectura est. Letata hoc successu Venda, Cracouiam ouans inuehitur, mactatis uictimis, ad extremum ipsa sese Dijs patrijs deuouet, ac de Ponte in profluentē Vistulae, ne quis aduersus casus foelicitatē eius contaminaret, praecipitē dedit, in flumine perijt. Proceres Poloniae inuentū cadauer editiore loco honorifice sepeliunt.

Caput



**M**iecleslaus ob grauitatem morum & prudentiam in puericia senis cognomen adeptus, principatum Poloniæ mortuo Boleslao circa annum domini 1123. suscepit. Hic profecta ætate, mores, & uitam mutauit, spem hominum fefellit. Nam subditorum animos amaro dominatu, atq; aspero regimine, offendebat plurimum. Præterea aulicum famulicium suum in facultates aliorum, & possessiones grassari aut iubebat, aut certe connuendo permittebat. Supplicum interpellationes non audiebat, inopes, & suppressos inclémentioribus uerbis à conspectu suo arcebat. Audiebantur uulgo suspiria, & querelæ calamitosorum hominum. His rebus permotus Gedeon Cracouiensis Episcopus, Miecleslaum adit, mixtis cū grauitate blanditijs orat, & admonet, maiorum more regnare incipiat. Princeps indigne ferens admonitionem Episcopi, respondet, ut sua curet, utcunq; ipse regat, nihil ad Episcopum pertinere, suo se arbitrato principatum gesturum. Reiectus Episcopus non cessat tamen afflictæ patriæ subuenire. Mulierem subornat, quæ sordido habitu, miserabili uoce Principis iusticiam implorat. Motus Princeps lachrymis miseræ, quid uelit rogat. Illa incipit se gregem ouium filio commendasse, illum porro mer

R cenarijs

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

cenarijs pascendum commisisse, quorum negligentia  
 factum, ut grex à lupis dilaniatus sit protinus, rogare  
 igitur se, ut ad restitutionem amissi gregis reus com-  
 pellatur. Citantur mercenarij, qui pariter subornati ad-  
 sunt, negant sua negligentia damnum factum, sed po-  
 tius filij, qui uere priuignus, non legitimus filius mulier-  
 ris sit. Præterea illum uenationi deditum, atq; dum fer-  
 ras perlustrat, lupis deuorandi gregem occasionem  
 præbuerit, eum igitur damnum præstare oportere. Vi-  
 cissim adolescens in mercenarios culpam rejiciebat.  
 Cognita causa Mieceslaus, condemnat filium damni  
 infecti. Laudatur sententia iusta ab omnibus. Ibi tum  
 Gedeon, iuste, inquit, Princeps iudicasti. Verum rem  
 recte consideres, necesse est. Mulier illa patria tua est,  
 quam tu mercenarijs commendasti, & ita lupis deuor-  
 randum gregem, dum tu uenaris, prodis. Nā acerbos,  
 & crudeles exactores facultatibus, & sanguine innocen-  
 tum tuorum saginas, qui perinde, ac à lupis, impune  
 diripiuntur. Hæc damna omnia, ac incommoda Reipub-  
 licæ, abs te præstanda sunt, quemadmodum tu ipsis iu-  
 dicasti; si non humano, at diuino quidem iudicio. Si uis  
 miseræ mulieris, hoc est patriæ, & principatui tuo bene-  
 consultum esse, canes tuos coërce, lupos persequere. Res-  
 pice, et miseram matrem tuam, afflictam Rempubli-  
 cam, quam florentem accepisti, respice: ne eas perditum,  
 quam seruare debes. Si præstare præterita non uis, in  
 posterum uide, ne quid loci quærelis hominum relin-  
 quas.



quas. Ita autem existimato, per me tibi nunc uniuersam Rempubicam ad genua tua accidentem supplicare. Quod si præces eius repudias, illa quidem fortasse diuinitus salutem, & præsidium nacta fuerit. Incensus hac oratione Mieceslaus, ira & furore plenus, è Senatu sese proripuit, & in maiorem Poloniam proficiscebatur. Occasionem nacti proceres Prouinciæ, certo loco conueniunt, Mieceslaum impotenter dominantem Principatu amouent. Sicq; cum nō multum supra quatuor annos aspere dominatus esset, à principatu absens deiectus est anno Christi 1127, pulsus suo dominatu Mieceslaus, ad Fridericum Imp. affinem suum proficiscitur. Deinde à fratre in principatum Haliciensem Mieceslaus restitutus est. Vbi uix exacto triennio propter impotentem dominatum, à suis ueneno sublatus est, anno scilicet Christi 1135. Sic intereunt qui male Rempub. tractant.

Caput LXXVI.  
DE CASIMIRO DVCE  
Poloniæ.

POSTEAq; primores Poloniæ patriæ suæ afflictæ, & oppressæ subuenire cupiebant, Mieceslaum ducem suum aspere dominantem principatu deturbant, anno domini 1127. Quo deposito unus omnes scrupulus premebat, quem nam successorem in principatu eligerent.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

rent. Ibi tum Stephanus Cracouiensis Palatinus, Casimirum fratrem Mieceslai nominat, grauitatem eius, humanitatem, facilitatem, iusticiã, ac diligentiam, atq; animi moderationem prædicat. Et ut reliquos ad hunc eligendum commoueret, proponit Casimirum fratri omnino dissimilem, & sicuti Mieceslaus flagiciorum genere abundaret, ita hunc uirtutum cumulo gloriosum, unico exemplo probabat. Accidit (inquit) ut Casimirus cum aulico quodam suo equite, Ioanne Conario alea luderet. Cum autem uterq; uincendi studio incensus esset, in profundam noctem ludum prodixerunt. Pertesi tandem uigiliarum, & ludi ipsius, uno ictu omnem summam Conarium deposuisse. Casimirus uictor factus, omnem pecuniã summam ad se recepit. Quo facto Conarius iactura pecuniã suã motus, Principis faciem palma manus suã percussit, noctisq; beneficio elapsus auffugit. Clamantibus autem cunctis eum capitis pcena afficiendum, quod Principis maiestatem minuisset. Postridie deprehensus Conarius, ad Casimirum ductus est, atq; lesã maiestatis reus accusatur. Minime gentium (inquit) Casimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis pecuniã amissã incogitans deliquisset, atq; in se tamq; fortunã alumnus commotus peccasset. Quare se magis in culpa esse, qui conditionis suã oblitus, eum ad ludendum prouocasset. Non modo se illum absolueret, uerum etiã gratias agere, quod se ictu illo admonuisset, ne quid indignum Principe



Princeps in posterum admitteret, neu se ludo, aut ulli rei leui, ac inhonestæ unquam daret. Et ut hanc sententiam facto confirmaret, Conario omne quod lucratus erat donat, & reddit. Quod factum cum ab omnibus prioribus moribus Poloniae laudaretur, communibus uotis & suffragiis Casimirus in fratris locum Poloniae dux electus est. Cum fructu suis praefuit, bello, paceque clarus, & laude dignus Princeps. Obijt tandem anno Christi 1194.

Caput LXXVII.  
DE PISTORE QVODAM  
Ratisponensi.

**S**ub Nicolao Episcopo Ratisponensi, circa annum domini 1339. Reginoburgij audax facinus perpetratum esse legimus. Consuetudo tum Reginoburgij erat, ut Pistores, qui legem coquendi panes transgressi fuerant, pondusque iustum non obseruassent, in lacunam, uolutabrumque de ponte (qui locus etiamnum **Die Beckenspreng** uocatur) deijcerentur. Compræhensus erat legis transgressor Pistor quidam, qui cum simili poena afficeretur, atque iam lauacrum egrederetur madidus, ciuis quidam alius, & diues Pistorum denuo in cœnum, & lacunam detrudit. Pistor quidem dissimulata ira, bene lutulentus discedit. Euenit autem non longo post tempore, cum sacerdos cum uenerabili sacramen-

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

to ad agrotum publice, comitante Piftore superiore, iret. Ibi tum ciuis ille diues obuiam factus sacerdoti, genu flexo uenerabatur Euchariftiam. Quem cum Piftor conſpexiffet, memor iniuriæ ſibi à diuice illatæ, in illum irruit, nihilq; mali ſuſpicantem, obruncat. Cæde perpetrata protinus in prætorium Pontificis elabitur. Ciues indignitate facinoris commoti, arma corripunt, in aedes Epifcopi ui irruunt, Piftoremq; homicidam eripiunt, moxq; indiæta cauſſa ſecuri percutiunt. Nicolaus Epifcopus Eccleſiaſticam libertatem uiolatam uociferatur, urbe excedit, iureiurando proteſtatur ſe nunq; reditutum, niſi ciues ſibi ſatiſfecerint. Quid multis? bonus Epifcopus non diu ſuperuixit, Altaichij quod ſuperius uocant, obiit, ibiq; ſepultus eſt, Anno domini 1340. ſexto Idus Octobris.

### Caput LXXVIII. DE CONRADO TERCIO Rom. Imperatore.

**C**onradus Friderici ſecundi Imperatoris filius, natus eſt in Germania, rex Rom. appellatus à patre anno domini 1234. Contra hunc Hainricus Landgrasius Thuringie, & Haliæ ſuggeſtu Pontificis electus eſt. Cum proxime Francofordiam ab Hainrico in ſurgam uerſus eſſet, in Boiariam ad ſocerum Ottonem redijt. Albertus Epifcopus Ratiſponenſis Conrado non bene



bene uolebat. Nihilominus Rex cum duce Ottone so-  
 cero suo Reginoburgium cum copijs intrat, & more  
 maiorum in aede D. Haimerami hospicio receptus est.  
 Atq; dum quinto Cal. Ianuarij cubitum isset, nocte in  
 tempesta, Albertus qui se Episcopum faciebat, & Con-  
 radus ab Hohenfels, clam in cubiculum admissi, certio-  
 res facti, nō plures, q̄ tres in eodem conclauicū Cæs-  
 sare quiescere, dormiētes iam, atq; in tenebris adoriun-  
 tur, duobus occisis, arbitantes alterum esse Cæsarem  
 abeunt. Vuilpeckium Sueuum casu obuium interfici-  
 unt. At Cæsar sub scamno latitās, incolumis euasit. De-  
 inde Episcopum, percussores, Vlricum Abbatem, socia-  
 os, hostes Reipub. iudicat, atq; proscribit, opes, & præ-  
 dia Abbatis S. Haimerami publicat. Verum Monachi  
 qui huius rei conscij non erant, pacem à Cæsare centum  
 libris, ab aulicis quinquaginta mercantur. Conradus ta-  
 bulam proscriptionis rescindit, sed ut aliquo piaculo ces-  
 des innocentū expiaretur, iubet aedificiū ubi dormie-  
 rat dirui, Capellam ibi à fundamentis extrui, Deiparæ  
 uirgini, & D. Nicolao dedicare præcepit, ubi quotidie  
 sacerdos Monachus sacrum faceret, atq; manes obpie-  
 tatem pro Cæsare crudeliter cesorum, placaret. Omnia  
 polliciti sunt Monachi, testes fuere Otto dux Boius,  
 Ludouicus filius eius, Otto ab Hochburg, Hainricus à  
 Burgaw præfecti. Ludouicus Comes ab Otingen,  
 Gotfridus comes ab Hoenlohe, & ciues Reginobur-  
 genses. Factum est hoc anno salutis 1251. mense Ianua-  
 rio.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

rio. Extat adhuc Conradi Cęsaris diploma, Cęsi in medio templo D. Haimerami humati ostenduntur. Vlricus Abbas dignitate mouetur, Albertus Episcopus in Monachorum ordinem redigitur. Conradus Princeps coniurationis fulmine de cęlo tactus sub dio equitans interiit. Reliqui conscij in Boiemiā auffugerunt. Cum uero Fridericus secundus Imperator anno 1250. obiisset, Conradus Septembri in Campaniam & Apuliam petit, regnumq; Neapolitanum in potestatem redigit, ibiq; decessit anno 1254. undecimo Cal. Iunij, unicum filium reliquit Conradum qui & Conradinus dicitur ultimus dux Sueuię, de quo inferius.

Caput LXXIX.

DE OTTONE DVCE AVSTRIÆ,  
& eius aulicis Neithardo &  
parocho in Kalenberg.

**M**ortuo Stephano duce Boiarię inferioris circa annum domini 1311. Elisabetha filia eius, Ottoni, Friderici pulchri, ducis Austrię fratri ( cum primum coniugem amisisset ) despondetur, nuptię dilataę sunt aliquandiu, usq; in annum Christi 1316. Quo anno Otto sibi Elisabetham desponsam nuptiali iungit thalamo. Horum ducum fuere aulici Neithardus Fuchs nobilis Eques, antiqua Francia oriundus; & parochus de Kalenberg. Ambo uaria, haud triviali iocandi, ludendi



dendi uoluptate, ac comitate inclyti, maxime rusticis, ioculariter animi relaxandi causa, imponendo insignes. Quorum lusus, & facecias Fescennino uersu Germania et compositas adhuc canunt Germani. Denique Neithardi uiolas, primo uere inuentas, pileo rectas, & à Rustico clam sublatas, cum onere uentris in locum supposito, ludicro schemate adhuc tractant, atque publice pingunt, & agunt. Otto iocis uehementer, & facecijs delectabatur, unde cognomento Mirabilis, à quibusdam autem Venustus dictus fuit. Sed, quæ & qualia cum Rusticis isti duo egerint, uulgo notius, quam ut longiore descriptione egeant: libelli etiam excusi omnia illorum facta testantur. Neithardi Mausoleum Viennæ lustribus, quibus Rusticis imposuit, sculptum, & ornatum adhuc (sicuti referunt) spectatur. Bellum unicum ab hoc Ottone gestum reperio, Allaticum, in quo Colomariam expugnauit. Elisabetha coniunx Ottonis moritur circa annum domini 1336. è qua Fridericum, & Leopoldum sustulit liberos, in puericia mortuos.

Otto ad tertias nuptias transit, Annam filiam regis Boiemia uxorem ducit. Sed non diu superuiuens ex hac uita migrat, nullis relictis liberis  
anno domini 1338.

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput LXXX.

## DE IACOBA HOLANDIAE

Ducissa.

**A**Nno Christi 1345. Vuilhelmus Comes Holan-  
 dia, frater Augustae, uxoris Ludouici 4. Ro. Imp.  
 absq; liberis moritur. Bathauia, Holandia, Caninesates,  
 Selandia, Toxandri, Hannonia, & Frisia ad Augustam  
 haeredem naturalem redeunt. Quae eo profecta cum  
 duobus filijs Alberto, & Vuilhelmo hereditatem adit,  
 Principatu earum gentium potitur. Relicto Vuilhelmo  
 filio in ducibus paternis ad Imperatorem maritum  
 Francofordiam mense Decembri redit. Vuilhelmus  
 Machtildam Angliam uxorem duxit. Mortua Augus-  
 ta anno domini 1356. Vuilhelmus filius in Gallia Bel-  
 gica, atq; Germania secunda, succedit, omnesq; supra-  
 dictas Prouincias solus possidet. Mortuus autem in  
 Bathauia anno domini 1376, Albertus 2. Alberti primi  
 filius, nepos Ludouici quarti haereditatem adit, Stras-  
 bingæ tum in Boiaria habitabat. Hic postea circa an-  
 num domini 1386, in Bathauia moritur, tres filios  
 Vuilhelmum, Albertum, Ioannem, tres quoq; filias  
 Ioannam, Margaretham, et Catharinam reliquit. Vuil-  
 helmus maior natu Margaretham sororem Ioannis  
 Brabantini sibi connubio iungit. Albertus celeb; &  
 absq; liberis Chelheimij fato concedit 13. Cal. Feb. An-  
 no Christi 1399. Ioannes Leodiensium Episcopus factus est.



ctus est. Vuilhelmus ex Margaretha unicam suscepit fili-  
 liam Iacobam nomine. Hæc Ioanni filio Caroli regis  
 Galliarum nupta fuit. De qua hoc capite nobis tractan-  
 dum est. Ioannes maritus Iacobæ anno Christi 1417.  
 octauo Idus Aprilis absq; liberis decedit. Iacoba ad  
 Vuilhelmum patrem reuertitur, qui eodem anno pri-  
 die Cal. Iulij ex hac uita migrat. Hic Vuilhelmus aureos  
 nummos cudi fecit, quibus hoc elogiū inscripsit. Vuil-  
 helmus Bauariæ, Selandiæ, Hannoniæ, Brabantia ac  
 Hollandiæ dux. Tum Iacoba patre mortuo, eius mater  
 Margaretha, & Ioannes patruus Pontifex Leodiensis  
 um, de principatu ui, & armis disceptare incipiunt. Io-  
 annes sacerdotio cædit, resignatq; & in Hollandiam  
 migrat, plærasq; urbes in fidem recipit. Philippus dux  
 Burgundiæ, cognomento Mitis, Iacobam ad se uocat,  
 eamq; Ioanni Brabantino patrueli suo, quibus et ipsi am-  
 tini forent, indulgente tamen summo Pontifice conu-  
 bio iungit, Hagæq; in Hollandia nuptiæ fiunt. Ioannes  
 Boius, antea Leodiensis Episcopus, contra Brabantinū  
 & Iacobam arma mouet. Burgundus pacem compo-  
 nit, Hannoniam Brabantino, atq; Iacobæ, Boio uero  
 Holandos, Selandos, Frisios addicit anno Christi 1419.  
 Deinde aulici quidam Iacobæ ad aures crebro, atq; se-  
 creto obganniant. Ipsam cum marito sanguinis uinculo  
 q; arctissimo coniunctam esse, aduersus leges Chris-  
 tianas initum illud matrimonium clamitant, igitur  
 plane inauspicatum esse affirmant. Quid multa? Iacoba

ILLVSTRIVM GERMANIAE

(ut sunt mulieres religiosæ) à Brabantino clam discedit, in Angliamq; nauigat. Vbi Brabantinum coniugem abdicat, Hunofrido Hainrici regis Anglorum Germano nubit, cū marito nouo in Hannoniam residit. Inter hæc Ioannes Boius à Ioanne Flieto præfecto aulæ suæ, quem Iacoba auro corruerat, ueneno appetitur, octauoq; Idus Ianua. anno Christi 1424. è medio tollitur, Hageq; in templo Dominicanorum sepelitur. Brabantinus, & Burgundus Hunofridum Hannonia pellunt. Rursus tamen Burgundus intercedit, Hannonia Brabantino redditur. Hunofridus in Angliam abit, Iacoba captiua in Flandriam Gandauum deducitur, ut ibi regiam uitam, donec animus mariti placaretur, duceret. Ipsa ueniam crebro postulat, sexum, ætatem, animum muliebrem, consulto maliciam accusat. Per superos omnes obtestatur maritum, ut secum in gratiam redeat, atq; coniugem obsequentissimam recipiat. Verum Brabantinus pertinacissimè omnia recusat. Interea Iacoba nacta occasionem, sumpto uirili cultu, duobus duntaxat Comitibus uesperè, urbe nemine aduertente egreditur, equos pernicitatis expertè, ad hunc casum paratos, insidet, diu, noctuq; fugam non intermittit, in Holandiamq; incolumis penetrat, ibi quæ sit, fatetur, uestem muliebrem resumit. Hoc ubi rumore dissipatum est, omnes conuolant, in eius uerba iurant. Iacoba Hunofridum ex Anglia euocat. Ille quidem auxiliares copias mittit, se uero in Anglia continet, Burgundus infesto



infesto exercitu in Holandiam contendit. Anglios qui suppecias Iacobæ ferebant, superat, profligit Idibus Ianuarij. Postea pridie Cal. Maij Iacoba hostem aggreditur, in fugam uertit, uictrixq; uictorem exercitum cum ingenti præda Gandam deducit, fortunamq; plæriq; sequuti à Burgundo, Brabantinoq; deficiunt. Moritur tum Ioannes Brabanticus. Hunofridus Iacoba repudiata, aliam uxorem in Anglia ducit. Iacoba utroq; marito uidua cum Burgundo paciscitur. Hannonia, Holandia, Selandia, Frisia auitum, paternumq; regnum ex asse Iacobæ permittitur, atq; restituitur, ipsa tamen dat fidem, se minime gentium absq; consilio, & consensu Burgundi nupturam. Ita pax firmata est. Iacoba sex annos quiete gubernauit principatus. Verum ut sunt homines à labore procliuēs ad libidinem, animum inconsulto a mitino Burgundo ad nuptias Impares applicat, clam Franconi de Barfel nubit. Hæc ubi Burgundus resciiuit, in Holandiam pergit, Iulioq; mense Hagæ ab Iacoba benigne simul, & magnifice, excipitur. Conuiuijs dies plures consumunt. Porro iussu Burgundi occulte Franco intercipitur, captiuus in Flandriam, ignorante Iacoba deportatur. Post hæc Philippus Burgundus domum redit. Tum demum agnoscit Iacoba Franconum in uincula coniectum. Quem ut carcere liberaret, Hannonia, Selandia, Holandia, Frisia auitis, paternisq; bonis cedit, ea uniuersa Philippo Burgundo tradit. Ideo Franco è custodia dimissus ad Bathauos re-

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

dit, solenni ritu Iacobam uxorem ducit, nuptias celebrat, Philippus ab omnibus ciuitatibus Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, & Frissæ accipitur, quieteq; hos ducatus possedit. Cæterum Franconi quasdam præfecturas precario concessit, sumptusq; prebuit. Et interiecto deinde triennio Iacoba ægritudine contabuit, ex hac uita migrat anno Christi 1436. septimo Idus Octobris Hagæ sepulta. Hæc; omnes regiones patientia Borussia in manus Burgundionum, & deinceps Austriaeorum deuenere.

### Caput LXXXI.

#### DE COQVO IMMVNDO do Innacensi.

**O**Mnes Coqui ob promptitudinem, artiscq; ipsius sedulitatem laudantur, præsertim qui laurè, purè, & diligenter fercula parant, ut nihil præter modum salsum, adustumue, aut alioqui deprauatum, atq; male coctum apponatur. Huius artis peritissimus fertur fuisse Corchus Eleus, qui primus in Olympicis certaminibus fuit coronatus Coquus ob singularem coquendi industriam, & ferculorum puritatem excellentem. Laudatur & Phyrnis Lesbius coquus Hieronis; Item Mystilus, & Taratalla apud Martialem insignes. Qui in ea arte uersantur curiosi sint necessum est. Vnde Terentianus Syrus ille suis conseruis mandat, ut in patinas sedulo,



dulo, tamq̄ in speculum inspiciant: num falsum, num adustum, num parum lautū sit ferculum probent. Deniq̄ diligenter notū habeant illud Martialis distichon,

Non satis est ars sola coquo, seruire palato,  
Namq̄ coquus domini debet habere gulam.

Nec ultima certè coquinarie artis dignitas est. Apud Romanos Cn. Manlio Volsone ex Asia triumphum ducente, primum Coquus & estimatione, & usu in precio esse cepit, ut author est Liuius: & quod antea ministerium quasi uilissimum erat, ars haberi cæpta est. Qui autem in ea parum accurate uersantur, non sibi tantum nocent, sed his potius, quibus inseruiunt. Id quod euidentissimo exemplo testari potest de Coquo immundo, & negligente in Monasterio Isnacensi. Est apud Sueuos Isna oppidum Imperiale, cuius oppidi Monasterio presuit circa annum domini 1350. Hainricus Abbas, eius nominis secundus. Huius Abbatis coquus in ollam, cui antea Bufo, aut aliud quiddam uenenosum insectum irreperat, atq̄ ollam eandem uenosa sanie infecerat, carnes, non purgata, aut inspecta olla, imposuit, decoxit, & Abbati, conuentuiq̄ apposuit. Quicunq̄ igitur eas carnes deuorassent, ueneno infecti, uno die omnes cum Abbate mortui sunt. Horrendum profecto auditu, & omnibus coquis inculeandum, ut non purgatis prius uasibus aliquid crudi imponant, & coquant. Solent enim noctu mures, grylli, bufones,

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
busones, Glires & huiusmodi animalcula omnia perre-  
pere, nec quicquid intactum relinquunt. Rectè igitur in  
patinas, & ollas, tamquam in speculum, inspicere cõueniet.

Caput LXXXII.  
DE BERCHTOLDO SCHVWARTZ  
Bombardæ inuentore.

**B**erchtoldus cognomento Schwartz, Teuto gene-  
nere, religione Franciscanus, professione Philoso-  
phus, Magiæ & Metallariæ artium fallacissimarum stu-  
diosus, Chymistaque clarissimus, circa annum domini  
1354. ( alij ad annum 1380. referunt ) machinam ænes-  
am, quam à sono terribili Bombardam uocant, certissimò  
uirtutis, fortitudinis animi, & humanæ conditionis  
exicio, fecit, qua globi ferrei, plumbei, & lapidei iaculan-  
tur, homines, pecudes, muri, arces, urbes, fortissima  
quæque munimenta, quasi fulmine, atque tonitru fundi-  
tus prosternuntur. Apud Danicum mare primum in-  
usum uenisse quidam scribunt: alij autem apud Vene-  
tos initium sumpsisse, Germano tamen authore, per-  
hibent. Sunt qui Burgundis hoc inuentum tribuant.  
Vidit dictus Berchtoldus, ignem multo maius sibi spa-  
cium, quam terram uendicare, ac mixta corpora ( ut Physia-  
ci loquuntur ) in ignem redigi, æreæ ollæ undique cir-  
cumseptæ, sulphur, ac puluerem imposuit, ignemque  
adiiecit, Quo facto, in morem fulminis, naturali ratione,  
olla



olla frangitur, ingens sonus, & æstus fit: fumus in aërem spargitur, indicium futuri instrumenti bellici exhibet. Execrabile prorsus inuentum, quo nihil fulmini magis simile, luce, impetu, & odore teterrimo. Deinde pari ratione Berchtoldus pulueris Bombardici compositionem parare ex nitro, siue Salpetra, & sulphure, bene contritis docuit, carbonescq; nigredinis ergo addidit. Nam ingenio Philosophico cognouit contraria contrarijs expelli, & frigidum, atq; calidum in extremis, summe esse contraria, neq; se in eodem subiecto compatī. Facile igitur excogitatis, ac inuentis cætera addidit, Bombardas fecit, & globos emittere cum uiolentia incēpit. Quod & alij sequuti, indies magis ac magis Bombardarum fabri, atq; artifices celebres facti, inuentum illud noua industria auxerunt. An autem apud uetustissimas gentes huiusmodi machina bellica fuerit certum non est. Licet Tanais Scytharum rex ad Vexorem Ægypti regem scribat, Parthos olim fragosis uasis consueuisse hostes procul ferire, in modum, ac sonum tonitruæ. Vergilius etiam in Æncide Excussus (inquit) Aconteus Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti. Sine dubio in hoc fuit uehementissimum bellum cum iaculandi globos in hostes instrumentum. Verum an pulueris Bombardici ui atq; natura istud effecterint antiqui, dubito. Si quis de spherulis Bombardicis plumbeis quarit, certo certius est in usu olim fuisse, uel ipsius etiam Vergilij testimonio, ubi inquit, pars

T            maxima

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

maxima glandes Liuentis plumbi spargit, pars spicula gestat. Item Ouid. in Metamorphosi, non ocior (inquit) illo Hasta, nec expulsæ contorto uerbere glandes. Sed hæc alijs indaganda relinquo, sufficit in præsentia, hæc, de primo Bombardarum inuentore, in medium adduxisse.

### Caput LXXXIII.

## DE VVENTZESLAO REGE Boemiæ, & Rom. Imperatore.

**V**Ventzeslaus filius Caroli Boemiæ regis, & Rom. Imperatoris quarti, natus est Norinbergæ 28. die Septembris, Anno Christi 1301, ubi & more Christiano baptisatus est, & inter baptisandum sacram aquam lustricam locio suo coinquinauit. Duos iam annos ætatis fere nactus, in regem Boemiæ coronatus, aram, in qua sedebat, onere uentris fedauit turpissimè. Vnde prudentiores, hæc duo infantis facta non nihil fatere calamitatis, sacrarumq; rerum contemptum ipso superstitite, & regnante portendere prædicebant. Mortuo patre anno Christi 1309, regnum Boemiæ Vuentzeslaus suscepit. Suscepto regno statim dissolute uiuere cepit: neq; legem se ullam tenere, neq; iudiciorum curam habere debere putauit. Admonitorem nullum, præter Archiepiscopum Pragensem, admittebat, cuius solius monitis obtemperabat. Sed bonus Episcopus non diu superuixit.



superuixit. Electus est Vuentzeslaus duobus annis ante, quæ pater è uiuis excessit, ab Electoribus in Rom. Imperatorem, pridie Idus Iunij Anno 1376. Carolus quartus, ut & ipse in Imperatorem eligeretur Electoribus Principibus complura pollicitus est: sed cum soluendo non esset, Rheni uectigalia Imperij, neruos Reipublice illis distribuit. Contra leges auitas, contra morem maiorum, nouo & inaudito exemplo Imperium sibi primum, deinde & filio Vuentzeslao mercatus est. Nam illa uectigalia pro patrimonio erant Imperio, sed hoc tempore ita partita sunt, ut unus quisque Electorum non modicum quid acciperet. Deplumata est Aquila, ut in reliquum cæteris animantibus sit contemptui: quid enim potest sine pennis? Fuit tamē Carolus alioqui sagacissimus, atque cordatissimus Princeps, cui dispare filius Vuentzeslaus, ineptus, probrosus, seucicia, et ignauia infamius successit: qui in latebris Hercyniæ, ueluti serpens delituit, nec unquam cæteros Germaniæ, Imperijque fines adire sibi permisit. Canem ferocissimum, atque Carnificem, quem Iultricum patrem, siue compatrem suum (nam eius filium de sacro fonte leuauit) uocabat, comites eius semper fuisse, atque quemcumque ille indice denotasset, absque cunctatione inuasisse, atque eundem, dum deambulanti præcederet, obuium quemque corripere, ac distento sago impositum, in sublime iactare solitum, narrat Ioannes Archimysta Moguntinus in oratione aduersus Vuentzeslaum. Scribunt authores,

T ij quod

ILLVSTRIVM GERMANIAE

quod Vuentzeslaus eundem carnificē aliquoties uno,  
 eodemq; equo secum uehi passus sit, Fuit Vuentzesla  
 us corpore distortus, animo effeminato, ac segni. Des  
 generant à patre, & auo; nihil unq; memoria dignum,  
 aut cogitauit, aut fecit: somno, Veneriq; deditus, uen  
 tri tantum studuit. Maiorem curam uini, ac gulæ ha  
 bens, q; regni. Quod quidem inde facile colligitur. Venerat  
 Praga ad illum nuncius, nuncians arcem Vuiffes  
 gradensem incendio ferè absumptam, etiam ne, inquit  
 Rex, cella Vinaria exusta est? Sed ut incolumem audis  
 uit, ardeat, inquit, uel denuo arx, totaq; pereat, dum  
 modo cellam Vinariam saluam nobis relinquat, cum  
 uino nostro Rhenano. Molitoris cuiusdam coniugem  
 ad insaniam usq; deperibat, licet haberet coniugem in  
 mensæ pulchritudinis. Verum non tantum à toris alie  
 nis non abstinuit, imo sæpius in Lupanari deprehensus  
 est. Quem uxor ab hac turpitudine dehortabatur se  
 dulo. Ille autem contra minatus, se quoq; in Lupanar  
 ab illo transferendam esse, si hac dehortatione non sus  
 pederet. Porro cum nimia etiam Tyrannide utere  
 tur, à Baronibus regni captus, quatuor mensibus &  
 diebus septem custodiae publici carceris, in quem sup  
 plicio afficiendi passim conijciebantur, quod nulli res  
 gum unq; antea cōtigit, traditus est, ubi fetore, & squa  
 lore miseris modis cruciabatur. In quo loco, ingenium  
 callidum, & ad mala quæuis natum ostendit. Nam  
 exoratus Senatus permisit, ut ex carcere tantisper exiret,



ret, dum illuuiem, & sordes balnei beneficio ablueret. Deducebatur igitur rex ad balneū quatuor custodibus adhibitis. Sed ledens refrigerandi gratia famulam balnei alloquitur, rogat, ut si remigare tantum sciret, lembo sese in alteram ripam traiceret. Qua annuente, ab oculis custodum repente elabatur, nudusq; ad nouam arcem peruenit. Ibi à præfecto receptus, regnum recuperat. Famulæ balneatrici centum aureos nummos donat, illamq; non solum ad mensam, uerum etiam ad lectum sibi adiungit. Inde haud secus post carcerē egit, q̄ ante egerat. Igitur denuo à fratre Sigismundo rege Vngariæ capitur. Vbi cum negligentius custodiretur, fuga elapsus regno rursus potitur. Ab Electoribus Imperij crebro admonitus, ut res Imperij curaret, non obtemperabat. Nihil sibi, inquiens, negocij esse in Imperio Romano, Quod si quis Princeps esset, qui opera ipsius indigeret, cur ille non ad regem potius ueniret, q̄ rex ad illum. Quo audito tres Archimystæ, qui in Gallia Belgica habitant, dignitatem Imperij Vuentzeslao abrogant anno Christi 1400. decimo tercio Cal. Septemb. Bopardiæ. Qui Imperio Romano exutus, Boemiæ regno contentus decem & octo annis superuixit. Turbulentus tum ciuiliſ Pragæ pridie Cal. Iulij inter Hussitas, & Catholicos excitabatur. Et cum rex quæreret, quid nam id esset, pregustator eius, triduo, inquit, ante hoc futurum esse sciebam. Rex commotus pincernam pugione interficere uolebat, Sed ab aulicis prohibitus,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

in iram uehementiorem, ex ira autem in Apoplexiam incidit: & infra decē & octo dies moritur, Anno 1418. Christi. Corpori ne Hufsitæ illuderent, Sophia cōiunx clam illud noctu, sine ullo exequiarum honore in Aula regia, quemadmodum superstes elegerat sepulchrum, sepeliendum curauit. Sed postea cum Hufsitæ regum sepulchra effringerent, cadueratq; abijcerentur, piscator quidam Muscha nomine, Vuentzeslao pisciculos uendere solitus, Vuentzeslai regis, quem amauerat, corpus clam collegit, & in loculos apud se domi condidit. Inquirecto deinde tempore, cum Vuentzeslai corpus requiretur, piscator acceptis uiginti aureis illud reddidit, eiq; iustum & regium funus demum exhibitum, iterumq; in priorem locum repositum est. Aliquanto melius actum fuisset cum Imperio, si neq; pater, neq; filius in eo fuissent. Nam pater largicionibus, ut filium extolleret, filius ignauis dissimulationibus Imperium attriuere, inq; eam tenuitatem, qua nunc cernitur, adduxere. Incredibili desidia corruptus fuit Vuentzeslaus, præfenti rerū statu contentus neq; præterita corrigere, neq; futura præcauere cogitauit. Duas habuit uxores, quarum prior Iohanna Alberti comitis Holandæ, quæ anno regni sui sexto obiit, altera Sophia Ioannis ducis Boiariæ filia, soror Ernesti, atq; Vuilhelmi fuit. Hæc post mortem mariti Pisonium in consinio Vgrorum, & Austriacorum, iussu Cæsaris commigrauit, ubi & defuncta & sepulta est anno Christi 1428.

Caput



## VIRORVM HISTORIAE.

26

## Caput LXXXIII.

DE LVDOVICO ARCHIE-  
piscopo Magdeburgensi.

**L**Vdouicus Marchio Misnensis, & Comes prouin-  
cialis Thuringiæ, Friderici Seueri Landgrafij filius  
ex domina Machtilde Imperatoris Ludouici Bauari fi-  
lia natus. Hic primo factus Halberstatensis Episcopus,  
quam Ecclesiam dimittens ambiuit Moguntinam, sed  
eam non est affecutus. Postea summi Pontificis uo-  
luntate Magdeburgensi Ecclesiæ præficitur. Ab initio  
bonam spem de se præbuit futuræ tranquillitatis, quo-  
niam publicos raptores prosequabatur. Cæterum iam  
uergens ad senium, tamen iuuenum leuitates, choreas,  
& carmina, more gentis suæ non omisit. Plus in eo ua-  
lebat patruus mos, q̄ Christi religio. Aderant dies Ba-  
cho sacri, nostri Carnispriuij serias uocant, Episcopus  
ex aulicis plærosq; cum uxoribus, & filiabus ad cœnam  
uocat, ut omni genere deliciarum commessando, salti-  
tando, & ludendo dies lætos agerent. Venerunt fre-  
quentes officarij sit cœna genialis. Qua finita Episcopus  
præ cæteris frequens saltitare incipiebat, circulationibus  
se se exercebat, stridoribus, & clamoribus conuiuiarum  
mentes incendebat. Cum hæc die Lunæ in capite Qua-  
dragesimæ, usq; ad mediam noctem fierent, & omnis  
aula in medijs uoluptatibus uersaretur, subito apparuit  
ignis in camera, facile tamen restinguendus, si quis anis  
maduertisset,

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
maduertisset. Sed cum singuli sibi prospiciunt, ad gradus globatim properant. Archiepiscopus cum muliere secum saltante in mixtus turbæ in gradibus aufugere non potuit. Concidit gradus lapideus. Ruebant una pluresq; trecenti homines utriusq; sexus. Ex omnibus nemo lesus est, præter Archiepiscopum, & tres alios. Ille delatus in domum, postero die spiritum efflauit, anno Christi 1376. uel ut quidam tradit 1383. Sunt qui ipsum incendio periisse affirmant. Sepelitur in Archiepiscopalis palacij sacello apud Magdeburgum.

Caput LXXXV.  
DE SACRILEGIO GRAVI,  
ter à Deo punito.

Circa annum domini 1385. erat inter duces Boiorum, & quasdam urbes liberas bellum grauissimum: utrinq; magna damna illata, utrinq; etiam cedes hominum edita. Cum autem Stephanus Boiorum dux sub urbium oppidum Reginoburgensium (*Statt am Hof* uocant) cepisset, atq; diripuisset, Mense Septembri Stauffarcem, & templum expugnat. Erat in castris Stephani ducis Georgius Oberhamer, eques Boius, haud longe à Braunaw Norici urbe habitans. Hic habebat secum Andream quendam Comitem, cum alijs duobus. Cum igitur Stephanus Stauffarcem expugnaret Georgij Comites illi tres in altera ripa templum



VIRORVM HISTORIAE. >>

plum Sultzbachij ui intrant, sacrarium effringunt, sacra, hostiamq; ( thecam auream rati ) sacrilegis manibus suffurantur, proxime arcem, ubi nunc templum extat, condunt. Holoericam crumenulam, qua hostia uenerabilis seruabatur, septem assibus scorto diabolari uendunt. Sed sacrilegij penas mox eodem die pendunt. Andreas subito furij actus misere in castris quiritando, omnibus ad huiuscemodi spectaculum conuolantibus, expirauit. Alter sceleris socius, dum aquatum equitat, ab equo excussus, aquis obruitur. Tercius ferro caesus occubuit.

Caput LXXXVI.  
DE MIRACVLO IN  
Polonia facto.

**A**Nno domini 1370. Nonis Decembris Cazimiro cognomento Magno rege Poloniae mortuo, omnis disciplina morum & uirtutum ( ut fit morte Principis ) dissoluta erat. Lubartus Lituanus cum armata manu in Poloniae regnum incursionem facit, aliquot arces expugnauit, Ipse & eius populares homines barbari, pagani, a fide Christiana alieni, nihil pensi habentes, omnia incendijs, flamma, ferro, cede implebant, magnasq; praedas agebant: ac inter alia Caluimontis Monasterium diripuerunt. Vnde cum inter aliam praedam, portionem Crucis Christi auro inclusam  
V asportarent,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

asportarent, & iam ad fines Poloniae peruenissent, domumque properarent, memorabilis res, & miraculum diuini numine instigante, accidit. Plaustrum enim, quo inter praedas sancta Crux uehebatur, nulla ui, neque iumentorum, neque hominum loco moueri potuit: quin subito conciderunt exanimati homines, equi, & boues, quicumque id plaustrum attigerant. Obstupefacti re noua duces Lituani, & cum ex Russo quoque miraculi, & cladis suae causam cognouissent, mox crucem cum Chorabala nobili captiuo, libertate donato, ad locum suum remiserunt, ipsi cum reliqua praeda domos suos salui abeuntes peruenere.

### Caput LXXXVII, DE PRODITORVM PRAEMIO condigno.

**C**arolus huius nominis quartus Rom. Imperator, qui primum in Baptismate Vuentzeslaus, postea uero a rege Francie Carolo, apud quem puer in aula uixerat, in confirmatione, Carolus appellatus est. Qui cum contra Philippum ducem Austriae bellum gereret, atque ex utraque parte acies parabantur, & iam manus conferendae essent, Carolum horror quidam & timor incelsit. Videbat enim hostem longe superare multitudinem suas copias, sibi quoque timens rem astu, non armis agere incipit. Tres ex supremis capitaneis Austriaci clam  
per



per internuncios euocat. Quibus, quasi ad colloquium accedentibus, Imperator aureos montes pollicetur, si cum duce agerent, ut in fugam se daret: pro quo beneficio magnam auri summam pollicebatur. Ibi tum uerificatum illud est, quod à Troianis sub excidio, dicebatur, Dolus an uirtus quis in hoste requireret? Duces suam operam pollicentur. Reuersi igitur auro corrupti & spe mercedis illecti, Alberto duci referunt se speculatum abuisse copias hostiles, & pro certo comperisse Imperatoris exercitum triplo esse maiorem suo: imminere omnibus certū exitium, nisi fuga in tempore sibi consulant; nunc esse in arbitrio ducis, quid secum faciat, constituere. Quando (inquit Philippus) in sola fuga praesidium est, consulamus salutē, expectantes magis idoneum tempus, neq; indecorum erit non celsisse maiori. Ergo collectis omnibus suis Philippus noctu fugit. Tres illi boni uiri postea ad Imperatorem reuertuntur, premia promissa accepturi, Imperator ut malo modo malum quæreret cuneum, adulterinam aureorum monetam excudi curauerat, quæ uicesimam in ualore non haberet ad monetam iustam, illam illis numerat: Illi alacres tanto aere ditati, domum reuertuntur. Et iam aurum expendere conati, reperiunt falsam monetam. Mox ad Imperatorem redeunt, monetarium falsitatis accusant. Carolus autem toruis oculis eosdem intuens, abite (inquit) fructiferi in malam crucem, Merita promotionis premia, nisi protinus discedatis ex oculis meis,

V ij      accepturi.

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
accepturi. Quam aliam meretur pecuniam uestra pro-  
ditio, atq; perfidia? Adulterina fides, quam domino  
uestro praestitistis, adulterinum meretur aurum, non  
putum, ac purum. Illi confusi, spe falsa seducti, cum  
ignominia ab Imperatore discedunt.

Caput LXXXVIII.  
DE MAGNO BRVNSVICEN-  
sium & Luneburgensium duce,

**M**agnus dux Brunsvicensis filium habuit sibi co-  
gnominem. Hic consensu patris ad Ducatum  
Luneburgensem administrandum à ducatus proceris  
bus uocatus est. Venit adolescens animosus, & nihil ali-  
ud cogitans, q̄ insignem gloriam rebus bellicis acqui-  
rere. Initia bene sese habuere, adeoq; cunctis grata, ut  
nemo desideraret aliam nouissimi Vuilhelmi ducis po-  
steritatem. Sed ut in secundis rebus natura hominis in-  
solens esse solet, ita in hoc adolescente superbus domi-  
natus effecit, ut de alio Principe proceres sibi prospicere  
cogitarent. Quod cum pater rescisceret, filium scriptis  
litteris, & nuncijs commonet, ut ad sanio rem mentem  
redeat. Sed surdo narratur fabula. Addidit deinde pater  
minas, fune semper in manibus habito, quo filium, si  
obuium deprehenderet, in arborem suspenderet. Filio  
us nihil deterritus, ad omnia pericula paratus, eas patris  
minas deidet, catenam insuper argenteam in collo  
portans,



portans, renunciat patri, ut si omnino pater filium iugulare uellet, non subere, aut fune, sed potius argenteo instrumento uteretur. Ex quo facto, Magnus filius post hac dux cathenatus cognomento dictus est. Post hæc, bellum Magnopolensiu duci Alberto bellum indixit. A quo cum esset uictus, atq; plurimi ex suis captiui detinerentur, Magnus pro redemptione illorū sex milia marcarum expendere cogebatur, pecuniā illā à Lunenburgensibus mutuo accipere contendit. Quod cum ciues negarent, indignatus Magnus oppido male misatur. Unde homo Tyrannus autoritate Imperatoris ducatu motus est. Non destitit Magnus ciues subinde iniurijs afficere, quibus nusq; tuto prodire licebat. Albertus arcem Magni apud Vuinzen obsedit, sed superueniens Magnus, obsidionem soluit. Deinde Lunenburgum per prodicionem fere cecepisset, nisi ciuium fides, & fortitudo obstitisset. Frater Magni Ludouicus iam dudum mortuus erat sine liberis, cuius uiduam relictam Otto Comes de Schouenberg duxerat. Cum uero noua nupta mundum muliebrem, & supellectilem femineam ex ducatu in Schouenberg arcem perducere curasset, nō est passus Magnus, sed in missis equitibus omnia diripi iussit. Flebat illustris domina de tanta iniuria sibi illata. Consolabatur eam maritus Comes. Nihil inquiens te conturbet, charior est mihi integritas tua omnibus corporis ornamentis; facile inuenies, quod orneris; satis uestita incedit, quæ uirtute, & illustri san-

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
guine ornata est. Cum illa res ad bellum uenisset, Comes Otto ausus est obuiam ire cum copijs Magno. Vbi conseruntur manus, dux Comitē in acie quærit, inuentumq; deturbat ab equo. Sequutus ipse in pedes ut Comitē capiat. Dimisso igitur equo, hosti prostrato incumbit, uitam eius quæritans. Superuenit tum oportune nobilis quidam ex auxiliaribus Comitē, qui ducem hosti toto corpore incumbentem perfodit. Hic erat exitus Magni, quem ferunt ante conflictum iurasse, illa se nocte futurum in hostica terra. Quod cum audisset Comes, ait, non notabitur periurio affinis nostrer, ducamus eum in nostra, & inde eum remitemus suis ad sepulturam. Facta sunt hæc anno Christi 1373.

Caput LXXXIX.  
DE HEDVIGE POLONIAE  
Regina.

**L**Vdovicus Vngariæ atq; Poloniæ Rex, duas filias Mariam, cui regnum Vngariæ, & Hedvigem minorem natu, cui Poloniæ regnum (quoniam masculinam prolem, quæ paternæ uirtutis, & fortunæ heres esset, non habebat) destinauerat, habuit. Hedvigis apud matrem suam Elisabetham in Vngaria educata est. Polonorum autem Legati ab Elisabetha petunt ut Hedvigem ad se remittat, quo uoluntate Polonorum nuberet, & deinde regnum administraret. Quod cum mater



mater differret, rursus suos legatos mittunt Poloni, qui dicerent Elisabethæ, ut Hedwigem Cracaviæ sisteret, si regnare eam in Polonia uellet: ni faceret, aliter sibi pro uisuros esse. Quare coacta Elisabetha, filiam in Poloniam mittit, quæ Idibus Octobris (quæ dies S. Hedwigis sacra est) Cracouiæ regina Poloniæ renunciata, & coronata est. Iuuenula erat Hedwigis, habens commotissimos, & liberales mores, cum uerecundia, modestia, prudentia, decentiq; suauitate coniunctos, quarum uirtutum non uulgare condimentum erat forma corporis eximia. Hic noua cura procerum animos incessit, de adiungendo reginæ marito. Destinauerat autem Ludouicus rex adhuc uiuens generum sibi, & in regno Poloniæ successorem Vuilhelmum Austriæ ducem, puerum admodum in aula sua educatum, promisso ei Hedwigis filiaë matrimonio. Sed non placebat Polonis Princeps exiguæ potentiaë. Interea oratores ab Iagellone magno duce Lituanoꝝ (cuius pater Olgerdus anno domini 1381. mortuus, & mater eius Maria Russa Christiana erat) missi, per ampla munera Hedwigis reginæ, coniugium eius, regnumq; dotale Principi suo perentes, attulere; multa deniq; pollicentes, quæ ad amplitudinem regni, atq; incrementum religionis Christianæ pertinere uidebantur. Hedwigis à barbaro coniugio abhorrebat, responsum oratoribus dicere iubet, Christianæ barbaro nubere non licere. Ad hæc oratores, Iagellonem ex matre Christiana natum, non genere

animum

ILLVSTRIVM GERMANIAE

animum à fide Christiana alienum, daturumq; operam ut omnes Lituani secum mysterijs Christianis iniciantur; insuper Lituaniæ regni accessionem ad Poloniam pollicebantur. Placuit hæc promissio Hedwigis, & matri eius, quæ religionis Christianæ incrementa præcise dere nolebat. Mittuntur legati ex Polonia ad Iagellonem, qui ei coniugium Hedwigis, & regnum Poloniarum deferebant, si modo promissis stare. Aduenit ergo Cracouiam Iagello 12. die Februarij. Anno Christi 1386. qui fuit quartus post Ludouici regis mortem, adueniensq; Hedwigam reginam magna cū admiratione eximiae eius formæ salutauit, fidemq; Christi, cum omnibus Lituanis suscepit, quarta decima die Feb. à Bozenta Archiepiscopo sacro fonte ablutus & Christianæ religioni addictus, nomen Vladislai accepit, deinde nuptias celebrat. Continuo rex ad pacandam maiorem Poloniam animum intendit, Profectusq; eo cū Hedwigæ coniuge Regina, & magno exercitu. Cum autem Gnesnam uenisset, comeatumq; à Collegio eius Basilicæ perijisset, nec impetrasset, fertur more barbarico pignoras facultates adscriptitorum Ecclesie. Sed repræhensus à Regina Vladislaus, pignora capta reddi iussit. Ibi illa suspirans. Pignora quidem reddemus (inquit) agræstibus, cæterum lachrymas illorum quis reddet. pignorem Reginae dictum, & sempiterna memoria dignum, aureis literis deniq; parietibus, & palatij Principum inscribendum. Cum igitur circa annum domini 1399.

(nam



(nam huc usq̄ sterilis fuerat) Hedwigis regina Elisabetham Bonifaciam primo partu enixa esset, ei post tertium diem extinctæ, nec ipsa diu superstes fuit, heu nimium (ut Verg. inquit) primos Lucinæ experta labores. Mortua iam Cracouiæ sepulta est, nullam post se relinquens regi prolem. Fœmina singulari pietate, & sanctimonia uitæ prædita, ab omni fastu, leuitate, iracundia aliena, ocij fugiens, tempus omne uel lectionibus sacris, uel leuandis pauperum querimonijs impendebat. Duo tempora anni, Quadragesimam, & Aduentum domini ieiunio semper coluit. Delicias, pompas, & ostentationem diuitiarum contempsit, adeo, ut cum propinqua partui esset, rexq̄ absens mandaret, cubiculum magnificentia, & regali cultu exornare, respondisse fertur, se pompam omnem, & inanem splendorem pridem abdicasse, nec insciam, sæpe mortem partui comitem esse, tum quoq̄ rectius neglectu mundani fastus diuinæ benignitati, quæ sterilitatis probrum à se amouerit, responsuram.

Hoc notent grauidæ mulieres.

Feruntur ob sanctitatē eius

miracula quædam ad

tumulum fuisse

se postea æ-

dita.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput XC.

DE BOIORVM FIDE ER  
ga Principes suos.

**C**Vm circa annum domini 1388. Vuent zeslaus Ro.  
Imp. Galeacium ducem Mediolanensem fecisset,  
Galeacius continuo Bernabouem socerum ducum Bo  
iorum capit, regnoq; eiusdem potitur. Quo facto  
Franciscus Cararia ad Stephanum ducem Boiorum,  
cum Florentinorum oratoribus uenit, eundem uirtute  
bellica clarissimum, famosissimumq; aduersus Galeaci  
um concitat. Stephanus cum fratre Friderico arma in  
Italiam mouet, proximè Mediolanum castra locat. A  
Florentinis stipendijs promissis defraudatus, cum Gas  
leacio nouam affinitatem contrahit, Elisabetham nez  
ptem illius Ernesto nepoti suo despondet. Cumq; ul  
tro citroq; inter Principes sermo protraheretur, atq; in  
ter colloquendum mentio de fide popularium, & sub  
ditorum erga dominos suos forte incidisset. Stepha  
nus, admirantibus Galeacio, alijsq; Principibus, proces  
ribusq; asseuerat, nullum Boium esse, cui non auderet  
uitam suam credere, atq; in eius sinu solus, & inermis  
dormire. Stephanus hic dux Boiorum Angilostadij  
habitauit in ueteri arce, cognomento Kneyffel.

à Thorace continuis fibulis constricto,  
dictus fuit. Mortuus tandem

Anno Christi 1413.

Caput



## Caput XCI.

## DE PRIMO SVEVICO FE

dere, siue liga, ut uocant

Sueuica.

**A**D Lubecum urbem Saxoniae nullus Romanorum Imp. uenit, exceptis Friderico primo, et Carolo quarto. Ille, ut hostis urbem obsedit, hic uero ut amicus urbem ingressus est anno Christi 1375. Cum ex Saxonia Carolus discederet, & Vuentzeslao filio Imperium quasi emisset, uti diximus, sedecim urbes in Sueuia, sine medio recognoscentes Imperium, uicinis Principibus uendidit. Aliae quatuordecim cum id intellexerent, conspirationem inuicem, federe mutuo se constringentes, faciunt, nolebant enim in morem pecudum uenales exponi. Imperator indignatus, unam ex illis urbibus obsedit, expugnareque ac capere, ad terram aliarum, cupiebat. Ceterae autem ad arma concurrentes, obsessis opem ferunt, & Imperatoris consilium inmutant, se atque suos populares defendunt. Quo tempore Sueui, salua sua libertate solita, Principibus Austriae ad protectionem sese commendauerunt. Non ut dominis parituri, sed ut protectoribus uicissim obsessantur. Quae res usque ad nostra tempora permansit. Hinc Sueuicam ligam ( ut uocant ) primum nomen accepisse, dubium non est.

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

## Caput XCII.

## DE LVDOVICO INGOLSTA

diensi Boiorum duce Barbato  
cognomento.

**L**udovicus Ingolstadiensis cognomento Barbatus filius Stephani fuit. Cum pater in Gallia Elisabetham filiam Carolo sexto Celtarum regi desponderet, Ludovicus interim Frisingam occupare nititur. Sed spe frustratus, iram in Ioannem Monacensem ducem conuertit, eius oppidum Neostadium s. Idus Ianuarias expugnat, & diripit. Ingenti predapotentis Ingolstadium reuertitur. Mortuo Ioanne duce Monacensi Monachium urbem exactis Vuilhelmo & Ernesto fratrisbus, Ioannis filijs, possidet. Postea anno domini 1399. ex Boiaria cum Ioanne Bathauo, duce Boiariae inferioris, & Episcopo Leodiensi in Gallias ad sororem Regiam Franciae proficiscitur. Vbi à Carolo rege affine Comitatu Mortauic donatus est, Annam deinde Borboniam uxorem ducit, ex qua Ludovicum Gibbosum genuit. Ea mortua Catharinam Alasonam, sororem Carolae Reginae Cypri connubio sibi iungit, Ambas in Gallia amisit, Lutheciamq; in templo Dominicanorum cum liberis condidit, solum Ludovicum secum postea in Germaniam abduxit. Dum in Gallia apud Regiam sororem erat, à seditiosis quibusdam, cum rege, Regina, liberis, atq; aulico famulicio capitur, quos tandem



tandem dux Borbonius socer Ludouici liberauit, anno domini 1413. Quo anno Stephanum patrem amisit. Ludouicus igitur nuncio de morte patris accepto in Boiariam redire cupit, potitus opibus, & clinodij regis domum reuertitur, signa sacra, simulachra Diuorum præciosæ artis, aurea, argentea, gemmata, nempe Deiparam Virginem, quæ sedet, atq; filium in sinu & manibus tenet, ante quam duo reges genibus flexis, ab utroq; latere Reginae cum insignibus astant, Item Ioannem Baptistam, S. Michaelem, pleraq; alia secum attulit Ingolstadium, ubi adhuc tamq; sacra seruantur atq; monstrantur. Magni præcij esse, nemo dubitat. Post hæc Ludouicus cõquæritur, Boiariam haud equo iure diuisam. Hainricum Landshutensem in Concilio Constantiensi apud Cæsarem accusat, Hainricus dissimulata ira, Ludouicum neci destinat, eundem publice in platea de improviso stricto ense inuadit 12. Cal. Nouembris. Anno Christi 1417. eundẽ uulnerat, & aufugit. Ludouicus restitatus sanitati, iussu Cæsaris domum abit. Circa annum domini 1420. Ludouicus cum Ludouico Gibboso filio suo fæderi equestri in Boiaria iam dudum facto, accedit, cum ciuibus, & nobilitate conspirat. Hainricus Landshutensis dux Boiorum obuiam cum exercitu procedit. Fit magnus tumultus in Boiaria, Ludouicusq; Barbatus sex urbibus, totidem uicis, castellis duo de uiginti exutus est. Deinde cum Ludouicus peruiicator esset, atq; ad Imperatorem Norinbergam

ILLVSTRIVM GERMANIAE

rinbergam uenire recusaret, Boiaria exulare iussus est. In Vngariam cum Caesare Histro nauigat. Reuersus ad suos, inferior Boiaria sine possessore erat, pro qua cum reliquis Boiorum ducibus disceptauit. Certamen ad Caesarem defertur, is causa cognita, aequo iure patruelibus Prouinciam partitur. Sub Concilio Basiliensi ab alijs Boiariae Principibus, multisq; Comitibus, ciuitatibusq; Ludouicus grauius apud Caesarem, quod sacras ardes, equis & canibus uenaticis oneraret, accusatur. Igitur Antistes Caesariensis eundem ad tricesimum diem adesse, & se sistere iussit. Ludouicus autem peruicax non apparuit, quo circa eidem sacris interdicitur. Caesar in illum, ut hostem Reipub. arma mouere meditatur. Ludouicus ueniam supplex petit, Sigismundo Imp. grandem pecuniam, quam ei mutuo dederat, condonat. Reginoburgij deinde opera Imp. res transigitur, sacerdotibus se satis facturum Barbatius stipulatur. Ludouicus cum Alberto duce Monacensi in gratiam redit, sedus icit, Landshutensi bellum indicit. Sed res per Legatos Concilij Basiliensis composita est. Moenia Ingolstadij a porta Feldkirchiana uersus portam Haderianam Anno 1429. absoluit. Anno Christi 1434. portam Feldkirchianam ibidem cum turri Ludouicus aedificauit. Circa annum domini 1439. ibidem templum D. Virginis iam dudum scilicet anno domini 1425. inceptum absoluit, sex sacerdotia addit, signa praeciosa legat. Ptochotrophion sexdecim Bardis, fratribus Laicis aedificat, qui



qui Psalmos decantarent, quod Legatum postea anno domini 1422. in Academiam uersum est, & fratres exacti sunt. Postea Ludouicus filio suo Gibboso filiam Ioannis regis Cypri despondere parat. Sed filius, in scio patre, Margaretham filiam Friderici Brandenburgensis (cui pater capitalis inimicus erat) connubio sibi iungit. Quem ob id factum pater iratus, oppidis, ac castellis exclusit. Filius uero Angilostadij a ciuibus uelut hæres, & Princeps iustus recipitur, ætate parentem delirante d. c. titabat, moxq; in urbem admissus, cum ciues claues exhibere nollent, ui effracto sanctiore templi grario, Gaza, pecunia patris, qui tum Neoburgij habitabat, potitur. Porro pater exheredato filio, uniuersa sua templo D. Virginis, atq; Prochotrophio legat, filium impietatis postulat, egenos hæredes testamento instituit, quotidie mille pauperes pascendos curat. Anno domini 1441. Ludouicus gibber redactis ad obsequium plarisque urbibus, patrem Neoburgij ultimo Aprili undecim septimanas obsidet, tercio deinceps mense urbem ui expugnat, patrem capit, sapientissimos quosq; quid de patre capto agat, consulit. Consilio habito patrem uenerandum, & grandeuum senem Alberto Brandenburgensi uxoris suæ fratri, tradit, atq; Onoltzpachium abduci permittit. Ipse filius post biennium impietatis, ne dicam parricidij pœnas, suprema Maiestate expetente, correptus uehementissima febre, dedit, atq; fato concedit septimo Idus Aprilis anno Christi 1445.

Cuius

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Cuius effigiem in templo D. Virginis Ingolstadij ad  
 Capellam S. Barbaræ in specularibus depictam uides,  
 atq; ex statura gibbosa agnoscis. Pater à Brandenbur-  
 gensi nihilominus captiuus detinet. Hainricus Lands-  
 hutensis postea Ludouicum Barbatum nummum au-  
 reum millibus duobus, atq; triginta emit, atq; ab Ala-  
 berto Brandenburgensi ( qui eum uendidit ) iuxta  
 Angilostadium apud pontem Sudinum ( **Sunder-  
 pruck** ) exhibitum, recipit, Idibus Augusti anno do-  
 mini 1446. captiuumq; Landshutam, inde Burckhusia-  
 um deducit, ubi Ludouicus post annum, minus duos  
 decim diebus, cum Fridericus Cæsar, atq; Carolus se-  
 ptimus Galliaë rex legatos Landshutam, qui senem des-  
 crepitum liberarent, misissent, nullis relictis liberis ani-  
 mam in uinculis efflauit, tercio Cal. Aug. Anno Chris-  
 sti 1447. Rotenhaslachij in Norico sepelitur. Fuit hic  
 Ludouicus literarum studiosus, amantissimusq;. Ves-  
 rum nimium peruicax, qui neq; superiorem, neq; pa-  
 rem ferre potuit, alioqui Dei cultor obseruantissimus,  
 in pauperes pius, erga populares & subditos summae  
 ciuilitatis, atq; clementiaë Princeps. Superbe interim, &  
 auare multa fecit, solitus fuit sese appellare Boiariae  
 ducem, Mortaniae Comitem, & fratrem Ger-  
 manum reginae Franciaë. Quem titu-  
 lum Angilostadij sub porta Feld-  
 kirchiana legere potes.

Caput



## Caput XCIII.

## DE ZIGARIS, SIVE CIANIS.

**Z**igari, qui & Ciani, Cilices, atq; Zigeni, Germanis (Zigeyner) dicuntur, primum in Germania uisum sunt, circa annum domini 1417. Furacissimum genus hominum, colluuios, atq; sentina uariarum gentium. Literas exhibebant Sigismundi Rom. Imp. & aliquot Principum, ut transitus illis per urbes, ac prouincias incolumis permitteretur. Cum rogarentur unde uenissent, aut quid negocij in Germania haberent? respondabant, se ex Ægypto patria sua uenire, extorresq; domo à superis cogi maiorum delicta, qui D. Virginem Mariam, cum puero IESV hospicio excipere recusauerint, septem annorum exilio expiare. His nugis agricolis imponunt, & ubi illi foris laborant in agris, hijs spolijs inuigilant casellarum. Sunt homines nigredine informes, excocti sole, furtis, rapinis, & diuinationibus impune uictum quæritant. Dignitatum ordines inter se habent, Ducem, & Comites eligunt, nobiles faciunt. Vestes præstantes gerunt, uenaticos canes more nobilitatis alunt. Equos sæpe mutant. Foeminae cum paruulis iumento uehuntur. Homines sunt ociosi, nullam agnoscunt patriam, fures, nequam, omnium scelerum participes. Plærictq; inter illos (sicuti à fide dignis audiui, & ipsemet expertus sum) ex oppidis proscripti, nequicia infames, uirgis publice caesi, & auribus truncati,

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

se in hoc sodalicium dedunt, scelera mendacio excusant. Recipiunt etiam passim uiros & sceminas uolentes in cunctis Prouincijs, qui se illorum miscunt contubernio. Dux illorum primus in Germania uisus, fuit Zindelo, à quo, facile crediderim nomen Zigeni habent, inde Germani uocabulum (*Zigeyner*) à peregrinationibus formarunt. Colluuius hominum mirabilis, nusquam ferenda, ubique expellenda. Experimentis constat omnes esse proditores, atque exploratores. Quod quidem multi Principes, in primis autem Maximilianus Rom. Imp. & Albertus eius nominis quartus, dux Boiorum cognomento Sapiens, edictis publicis testati sunt, illosque suis Prouincijs exegerunt. Verum sunt quidam adeo supersticiosi homines, ut eos uiolari nefas putent, atque eos grassari, furari, imponere impune adhuc sinunt.

### Caput XCIII.

#### DE AGNETE BERNAVERIN.

**A**lbertus filius Ernesti ducis Boiorum Agnetem Bernauerin Augustani Tonsoris filiam, siue ut alij uolunt, balnearum custodem, perditè amauit, adeo ut eam planè loco iustæ uxoris haberet, atque publice solennibus sacris ducere concupisceret. Ipsa se reguli Boiorum coniugem, reginamque Boiariæ profiteretur. Denique uirginibus instructa, Gynecio, famulicioque scemineo



neo prodire meditaretur. Cumq; aliquando in præsen-  
 tia ducis Alberti de laudibus, & forma, ac pulchritudine  
 mulierum in aulicos sermo haberetur, Agnetemq; su-  
 am amasiam nemo nominaret, indigne ferens Alber-  
 tus, aut inuidos, aut formarum ignaros æstimatores,  
 & spectatores suos purpuratos appellauit, propterea  
 quod amasiam suam præterissent. Ferunt fuisse hanc  
 Agnetem puellam elegantem, & incomparabilis for-  
 mæ. Ernestus pater filij propositum ægre ferebat,  
 & ut matrimonium illud irritum faceret, absente filio  
 Strubingam uenit, omnesq; senatorij ordinis, qui  
 cuncq; aderant accersit, quid faciendum sit, consulit, &  
 rogat. Deinde ex consilij decreto illam in uincula conij-  
 cit, nimiumq; proterue muliebri leuitato responden-  
 te, sententia procerum, à carnifice in Danubio sub-  
 mergi præcipit, quarto Idus Octobris anno Christi  
 1436. Quæ cum ex ponte præcipitata esset, unius pedis  
 nō ligati beneficio supernatans aliquandiu ad litus se-  
 miuua usq; peruenit, ibiq; cum auxilium spectantium  
 rauco gemitu imploraret, carnifex eam denuo contis  
 submersam, suffocauit. Quæ res Alberti animum gra-  
 uiter perculit, & aliquantulum simultatis inter filium,  
 & patrem excitauit. Pater ad placandos manes Agnetis  
 ædiculam extra moenia Strubingæ extruit, perpetuo  
 umq; sacerdotem addidit. Vbi eius ossa conteguntur  
 saxo, cui annus, & dies, quibus è medio sublata est, tacito  
 elogio fati, insculpti leguntur. Indignum profecto  
 Y ij facinus,

ILLVSTRIVM GERMANIAE

facinus, ob noxam ( ut scribit Æneas Syluius ) filij, puellam quæ nihil peccasset, neci dare. Verax igitur ille est, qui potentiorum commoditatem ius esse definiuit. Et ut Ernestus tandem filio ægroto medicaretur, illi Annam Braunschvicensem uxorem dat. Atq; ut consuetudine, & coniugio liberali deuinctus facile ex his malis, atq; molestijs, quas amor habet, emergeret, nuptias continuo altero, atq; uicesimo, post necem amicæ die Monachij apparari festinat, & celebrari curat.

Caput XCV.

DE HAINRICO DVCE

Luneburgensi.

**C**irca concilium generale Constantiense, Luneburgensem ducatum possedit Hainricus dux, Princeps fuit iusticię tenax, & obseruantissimus equi. Seuere in latrones, predones, et latrocinantium improbitatem animaduertit, adeo ut etiã de minimo delicto statueret exempla. Habebat ille in arce Zelle præfectum, uirum industrium, & sibi gratum seruitorem. Cum autem quodam die Hainricus Luneburgum proficisci uellet, præfectus ille properãter anteuertit Principem, ut uenturo Principi necessaria pararet. Erat autem præfectus tenuiter uestitus, & flabat uentus Aquilonaris uehementissime. Dum in itinere esset, uidit in uia publica pallium agricolæ arantis, accipiens palliũ, ut sese ab iniuria



iuria uenti defenderet, promittebat se redditurum, quæ  
 primum rediret. Agricola uero amissum pallium iam  
 putabat, cum ab eiusmodi hominū genere haud facile  
 recuperatur id, quod semel atrigerint, pallium repetebat.  
 Præfectus agricolam parui faciens, cum pallio per-  
 git, atque Luneburgum petit. Paucis post horis Hainricus  
 dux subsequens, inuenit hominem stantem iuxta  
 uiam, de suo pallio querulantem. Cū Princeps causam  
 damni, ac iniuriæ acceptæ quæreret, Quid est, inquit  
 Agricola, optime Princeps, quod publicos predones, &  
 infidiatores uiarum persequeris? cum ipse tuæ arcis præ-  
 fectus iam præteriens mihi pallium abstulit, pauperi,  
 nudo, & ut uides argenti sub brunam. Dux tacitus se-  
 cum rem perpendit, & ut certior factus est, rem ita se  
 habere, rebus suis in urbe expeditis, rediit. Vbi autem ad  
 locum ablatae uestis peruentum esset, iussit adesse præ-  
 fectum. Cur, inquit pauperi, & reclamanti pallium ab-  
 stulisti? En ego huc usque tuo ministerio persequor  
 predones publicos, & tu ipse es, qui non minora, in  
 subditos meos perpetrat. Multa uolentem in sui excusa-  
 tionem dicere, dux equi præfecti capistro detracto, alli-  
 gatū in arborem suspendi iubet iugulandum. Mira se-  
 ueritas, & Zelus incredibilis in Principe Saxone, Vix fi-  
 dem haberet apud exteros hæc narratio, nisi ab authore  
 fide digno annotata esset diligenter. Hainricus non diu  
 superuixit, relictis filijs Vuilhelmo, & Hainrico in fata  
 concessit.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

Caput XCVI.

DE MARIA SIGISMVNDI

Rom. Imp. prima coniuge, &  
eius fide in maritum.

**M**aria Ludouici regis Vngariæ, & Poloniæ filia,  
Sigismundi regis Boiemix, & Vngariæ uxor pri-  
ma fuit. Erat Sigismundus ( qui & Rom. Imperator  
electus est anno domini 1411. ) mansueti animi Prin-  
ceps, sed ad fortissima quæq; peragenda, promptiss-  
mus, atq; strenuus. Regnum Vngariæ per Mariam  
coniugem adeptus est. Hæc autem magnitudine dotis,  
quam regi attulerat, sublata in superbiam, regem con-  
temnere coepit: & monetam auream de suo nomine  
cudi fecit, cum hac inscriptione, MARIA REX  
VNGARIÆ. Ob quod factum, rex coniugem  
uerbis castigauit. Illa memor conditionis suæ, a facto  
posthac abstinuit. Erant tum in aula, qui regi male uo-  
lebant, & cum intelligerent Reginã a Rege ob numis-  
ma illud increpatam, putabãt sibi iam subuertendi Re-  
gis occasionem dari. Accedunt ad Reginã, scimus in-  
quiunt regem maligno in te animo esse, quem tu in re-  
gnum prouexisti, si te uindicare uolueris, nos authores  
habebis. Stupuit scemina, sed prudenter dissimulans  
eorum explorat consilia, non oblita fidei coniugalis,  
ait, quis tandem modus ut regem amoueamus? Ad  
hæc illi, inueniemus, qui regem cubantem tecum op-  
primant.



primant. Tum illa, arbitror hac nocte mecum cubitum  
 rum. Fide à Regina accepta, proditores abeunt. Vbi autem  
 Maria primum cōuenit Regem, inquit, rem affero  
 grandem, quæ tui capitis, nisi caues, habet perniciem.  
 Hac nocte, quando mecum dormies, aderunt, qui te  
 occidant. Tu uero, anime mi, ut se prodant coniurati,  
 simulabis noctis te quietem mecum habiturum, atque  
 quando cubiculum intrabis, in angulo te cōtineas. Iam  
 noctis erat medium, coniurati irrumperunt, & ad cubile  
 armati properant. Vbi reginam solam inueniunt, hæc,  
 inquit unus, proditrix consiliorum nostrorum, uoluit  
 itaque in eam gladio seuire. Tum alius, noli, inquit innoxiam  
 amperdere, quin abeamus. Exeuntes se domum recipiunt,  
 Rex, qui omnia uiderat, ante lucem omnes apprehen-  
 sos, proditorum pena affecit, & interfici mandauit.

## Caput XCVII.

## DE BARBARA SIGISMVNDI

Imperatoris altera coniuge.

**B**arbara Hermanni Comitis Ciliæ filia Sigismundo  
 do Imperatori nupsit. Infatiabilis libidinis foemina,  
 nihil de castitate sentiens. Vitam omnem censuit  
 inanem, quæ non libidine conteretur. Quod tamen  
 uiuente Imperatore latuit, sed eo mortuo erupit, ipsa  
 etiã ostentante flagicia sua. Viuente adhuc Imperatore,  
 in dote sua Boemiæ, & Hungariæ regna numerabat,  
 & ob

ILLVSTRIVM GERMANIAE

& ob id Vladislaum Poloniæ regem iuuenem admodum, maritum, petulanter ambiebat, quem tanta regnorum dote persuasum iri sperabat, ut cum anu matrimonium iniret. Id cum Imperator sentiret, ad Znoygam ciuitatem Morauiaë profectus est, secumq; coniugem duxit, ubi ei custodes, ne quid audacius inceptaret, adhibuit. Verum paucis post diebus Sigismundus moritur, anno scilicet Christi 1437. Cuius corpus Varadinum elatum, prosequente, inter alios, funus Barbara uxore captiua, ne quid eo temporis spacio, per eam noueretur. Barbara uidua facta, sibi omnia licere arbitratur. Publice non semel dixit, nulla alia causa uitam sibi expetendam, nisi ut uoluptati corporis sui inferiret. Quare nihil omisit procacissima mulier, quo uoluptatem suam explere se posse intelligebat, nam animam cum corpore interituram affirmabat. Sanctarum uirginum historias, fabulas esse dictitabat. Ferunt etiam eam ancillas suas pedisequas orantes, ieiunantesq; inoprepasse, quod corpus frustra macerarent, fictumq; celi numen placare uerbis crederent. In statu uiduitatis suæ in Grecio Reginaë dotali oppido Boiemiæ uixit, uitam perpetuo uoluptuosam duxit. Vbi sacerdos religiosus illam adiit, admonens, ut amore futuræ patriæ, pudicitiam ageret uitam, atq; nunc maxime, cum uidua esset. Quandoquidem & Turtur amisso compare solitariam, & moestam omnem uitam duceret. Respondit Augusta illico, Si pater uenerande exemplo me auium admonere



monere cupis, cur non mihi passeres affers potius, quas  
rum auium oscula & amores nuncq̄ cessant illarum igitur  
uitam libentius sequeretur, q̄ Turturum, innuens illarum  
auium libidinem indefessam. Narratur iocus Sigismundi  
Imperatoris, non admodum urbanus, tamen relatu haud indignus.  
Audiuit Augustus quodam tempore aulicos suos claros risus  
edere. Conuersus, tantis risus causam rogabat. Unus autem  
aulicorum inuicissime Imperator (inquit) retulit quidam inter nos,  
expleri illarum mulierum libidinem non posse, intra quas pilus  
unus Pantheræ adhesisset. Vnde risus tantus ortus est.  
Tum Imperator arridens & ipse, profecto (inquit) in Augustam  
coniugem nostram existimo integram Pantheræ pellem esse  
demersam. Cum ergo Barbara omnes ferè dies suos in luxu &  
libidine transigisset, atq̄ iam consenuisset, peste correpta  
in Grecia moritur. Circa annum domini 1449, Pragamq̄ delata,  
& ut in regio conditorio sepeliretur, Georgius Poggebratius  
sacerdotes Pragenses coegit. Fragilis est sexus muliebris,  
si ad naturam respicias. Optimum tamen est, muliebrem  
sexum non excedere extra limites conditionis, & naturæ suæ.  
Sed in hac Barbara desperante coelum, una salus fuit, inferos  
nuncq̄ timuisse.

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
Caput XCVIII.  
DE BOIEMI CVIVSDAM  
militis fortitudine animi,

**I**Oannes Capistranus natione Italus, professione Franciscanus Minorita, cui summa erat dicendi facultas, incredibilis memoria, uitæq; sanctitas rara, Legatus in Boemiam à Calixto Pontifice missus est, ut præsens inspiceret, an pacta Concilij Basiliensis à sacerdotibus seruantur. Quod cum sedulo faceret, in Vngariam tandem uenit, circa annum domini 1455. Quo tempore Machometes Turcarum Imperator cum infesto intentoq; exercitu Vngariam ingressus est. Ladislaus rex iuuenis admodum raptum ex suis regnis milites conscribens, Huniadem supremum Capitaneum præfecit. Capistranus cum numero militum cruce signatorum Huniadi se iungit. Belgradum deinde ambo præsidio firmant, ibiq; se muniunt, Machometes tantulum oppidulum se expugnare, & capere non posse uidens, dentibus frendens, admoueri ænea Tormenta incensibus, muros, turreseq; sterni, diruiq; iubet. Deinde omni uis, & toto suorum mole obsessos aggredi impellit. Ingens uis oppugnationis Christianos urgebat, nam oppugnatio illa per integrum diem atq; noctem continuabatur. Sed illam Christiani cum Huniade, & Capistrano ducebus suis fortiter sustinuerunt. Erat inter reliquos miles quidam Boiemus, cui debitus gloriæ titulus merito



rito suo reddendus est. Hic cum uideret Turcam cum signo, uexilloq; Turcico murum iam conscendisse, accurrit, complexusq; Turcam, rogat Capistranum infestius stantem, Si (inquit) sponte mea, cum cane isto, me de muro præcipitauero, illi commoriturus, quid de anima mea censes futurum? illo respondente, saluam sine dubio fore. Deiecit se protinus, & una secum Turcam illum signiferum, morteq; hostis, & sua, uitam socijs incolumem reliquit. Nam Machometes de urbe capienda desperans obsidionem soluit, castris ignem subiecit, atq; fugit.

## Caput XCIX.

DE LADISLAO POSTHVMO  
mo Vngariæ & Boiemiaë rege.

**A**lbertus Rom. Rex eius nominis secundus, quintus autem Austriae dux, mortuus anno domini 1439. prope Scrigonium in Hungaria rediens ex Turcica expeditione, Elisabetham Sigismundi Rom. Imp. filiam, uiduam grauidam reliquit. Ipsa ferens uterum rem tenuit. Postea uero Christiano 1439. filium peperit, qui postea Ladislaus dictus est. Regina Elisabetha infantem quatuor à partu mensium Albam detulit, coronaq; de more ornatum Vuiffegradum reduxit. Paucis interiecto tempore Elisabetha apud aurinum intestinaorum grauissimo morbo correpta, tertia die

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

uita excessit; Rebus uehementer in Vngaria afflictis, Vngari animum ad Ladislaum puerum appulerunt, qui tum apud Fridericum Ro. Imp. tertium educabatur. Habito itaq; consilio, Vngari uno consensu Ladislaum anno Christi 1446. regem creant, tutoremq; in puero dant Ioannem Hunyad Vaiuodam, ut is omnia moderaretur, quousq; rex integre esset ætatis. Cum autem sæpe à Boiemis, & ab Vngaris Ladislaus peteretur, res tamen ad duodecesimum eius ætatis annum pertracta est. At cum Fridericus Cæsar Imperialis coronæ suscipiendæ gratia Italiam petere statuisset, rursus Boiemi, Vngari, & Austriaci, Ladislaum regem suum, & diadema à Cæsare reposcunt, postulata tamen negata sunt. Nam assumpto secum Ladislao rege Italiam Cæsar ingressus est, coronam à Nicolao quinto Pont. Max. Romæ accepit. Roma discendens Imperator, Ladislaus in itinere sæpe fugam, consilio pædagogi fretus, molitus est, sed ambo postea capti sunt. Porro Ladislaus annum agens quartumdecimū anno Christi 1453. in Vngariam uenit. Quarto postea anno sui regni, in Boiemam profectus est, Pragæq; moratus aliquandiu. Cum iam decimum octauum annū attingere inchoabat, Vngaris, Boiemis, atq; Austriacis placebat, ut rex uxorem duceret. Mittuntur Legati in Gallias, ut Carolus 8. Francorum rex filiam suam Magdalenam Ladislao nuptum daret. Et cum iam omnia acta, transactaq; essent, sponsaq; regio comitatu in Boiemiam ducenda esset,



esset, miserabilis casus cum Rege accidit. Ladislaus rex  
 decimo. Calendas Decembris inter purpuratos coena-  
 uit, ubi composito, ac graui sermone usus est, Finita coe-  
 na in cubiculum ductus rapulas, cuiusmodi cibus auis-  
 sissimus erat oblatas comedit, at deinde priusq̃ lecto  
 decumberet, orationem de more ad superos habuit.  
 Qua finita, grauatum se dixit, & stomachum uehe-  
 menter dolere. Sunt qui ulcere pestifero percussum in-  
 guine dicunt, pleriq̃ dati ueneni suspicionem accusant.  
 Cumq̃ ad horam dormisset, uocato cubiculario circa  
 horam duodecimam, grauiter aegrotare cepit, eiq̃ nul-  
 la quies amplius dabatur. Ne tamen suis molestus esset,  
 dolorem in diem tacitus pertulit. Tum medici accersiti,  
 quibus nihil proficientibus, Georgius Poggiebratius,  
 & ipse uocatus adest. Ad quem rex, mihi moriendum  
 est, ait, regnū in tua manu erit. Duo ex te peto, unum,  
 ut Prouinciales iuste regas, alterum, ut qui mecum ex  
 Austria profecti sunt, in patriam inuiolatos remittas:  
 hoc mihi supremum beneficium ne deneges. Tum ap-  
 prehensa manu Georgij, Aie, inquit, promitte, quod  
 cupio, nam me mori certum est. Non potuit tenere la-  
 chrymas Poggiebratius, deditq̃ fidem futurum, quod  
 rex imperasset. Finito sermone, Christiano more, regi  
 sacramenta exhibita sunt. Vbi anima aegra amplius de-  
 morari non potuit, sacram candelam petijt, eamq̃ ma-  
 nu prehendit, & intuens Saluatoris imaginem, oratio-  
 nem Dominicam dicere orsus est, eamq̃ ad finem per-  
 duxit.

ILLVSTRIVM GERMANIAE

duxit. Pronunciatisq; ultimis uerbis SED LIBE-  
 RA NOS A MALO, nihil amplius locutus,  
 uitae lumē reliquit anno ætatis duo deugeſimo. Quo-  
 to tempore regnaſſe dicendus eſt: quia poſthumus à  
 partu, Alberto patri ſucceſſit, annoq; ſalutis 1458. apud  
 Baſilicam Pragenſem ſepultus iacet. Ladislaus nobiliſ-  
 ſimus adoleſcens, in ipſo ætatis flore, in ipſo gloriae cul-  
 mine, tot regnis, tot gentibus imperans, tot opibus aſ-  
 fluens, inter tot auxiliantium manus, intra ſex & triginta  
 horas, poſtq; agrotare coeperat, in die S. Clementis ex-  
 tinctus eſt, intoxicatus, ( ut Cuſpinianus ſcribit ) ſed  
 peſte mortuum ſinxerunt laudatiſſimum Principem,  
 & ducem Auſtriæ, nunq; ſatis laudandum. Habuit La-  
 dislaus cum patre fortunæ admirandum fauorem, quo  
 non diu tamen uterq; uſus eſt. Albertus enim duo res  
 gna ex uxorē Eliſabetha ſortitus eſt, & in ſuper Caſar  
 Rom. electus, lachrymans exclamaſſe fertur, O mon-  
 ſtroſa fortuna, non diu duratura, uno anno tria regna  
 conſequi? Id quod factum eſt. Nam uix duos annos  
 cum aliquot menſibus, regnauit. Ladislai ſponſa ſpon-  
 ſo amiſſo, regis Nauarri filio poſtea nupſit. Canitur  
 apud nos adhuc hodie in matura, & uiolenta mors La-  
 dislai, in qua cantiuncula, author omnem culpam in  
 Rockenzanum alioſq; quosdam conſiliarios  
 transfert, rem ipſam quoq; multo ali-  
 ter, q̄ ipſe hitoriaē perhi-  
 bent, deſcribit.



## Caput C.

## DE LIBERALI INDOLE IN

Ladislao eodem Vngariæ & Bo-  
iemia rege, etiamnum  
puero.

POST mortem Alberti Rom. Vngariæ & Boiemia  
regis, inter præfides Boiemia manu, & bello præ-  
stantissimus Ioannes à Brandesio Giscra cognomine  
fuit. Hic multa præclara pro Ladislao puero adhuc, &  
rege Vngariæ electo, gessit, Præpositus erat territorio  
Bistricienssi, non solum ea, quæ nomine Ladislai defen-  
denda acceperat conseruauit, sed plura etiam municipi-  
pia, quæ tenebat, aduersarijs ui, & iure belli eripuit. Huni-  
ademque Vngarum castris bis exiit. Vngaros denique eod-  
redegit, ut cum Elisabetha Ladislai matre pacem face-  
rent. Erat iam Ladislaus sex ætatis annorum, quando  
Boiemi ad Fridericum Rom. Imp. tertium pro eo, suo  
rege, legatos mittebant. Aderat tunc Giscra Viennam  
ex Hungaria ad Fridericum euocatus. Qui cum in aula  
Imperatoris esset, forte fortuna Ladislaum regem, &  
puerum uidet, eumque ut regem suum reuerenter salu-  
tat. Deinde, more militari, sua uulnera, & cicatrices, quas  
apud Vngaros rebelles, Regis gratia, accepisset, osten-  
tat, subridens, Ecquæ spes, inquit, premij laborum meo-  
rum apud te mi Rex unquam erit? Ecquid stipendij nomi-  
ne militi tuo fidelialiquando retribues? Tacitus Ladis-  
laus

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

laus puer, dispensatorem Friderici Imp. prope astantem, adiens, sacculum, unde stipem mendicis depro-  
mebat, de collo ei detrahit, inuentosq; in illo sex tan-  
tum modo nummos, Giscra dono dat, inquiring, se non  
plures in praesentia habere. His dictis, ac dono, quibus  
exiguo, Giscra exultans, quia satis sibi uidebatur, dedisse  
quod habuit, & plura dare uoluisset, si habuisset, acces-  
ptos nummos auro inclusit, aureaq; Zona e collo suo  
spendit, ut nota esset omnibus, tam prona, adhuc pueri  
Regis, erga bene meritos referendae gratiae uoluntas.  
Redijtq; Giscra loetus in Vngariam, ad exequenda officia  
sibi demandata.

### Caput CI.

## DE ANDREA BAVM- kircher.

**C**um Fridericus tercius Rom. Imp. Romae esset, se-  
cumq; Ladislaum regem Boemiae, & ducem Aus-  
triae adhuc imberbem duxisset, Australes suasore Eitza-  
ingero, sumptis armis, praesides, & praefectos Prouinciae  
a Friderico ordinatos, ui pellunt, ex se ipsis gubernato-  
res eligunt. Interea redierat iam Imperator ex Italia.  
Coniurati missis legatis, aut Regem tradere, aut bellum  
expectare Friderico nunciant, ac iubent. Postulatis aliis  
quandiu suspensis, illi morae impatientes nouam Ciui-  
tatem expugnaturi petunt, Conmittitur atrox pro por-  
tis bellum.



tis bellum. Conglobati hostes, magis ac magis insistere. Vbi res gladio geri, & cominus pugnari ceptum est. Caesarianorum acies non tam uirtute, q̄ multitudine hostium superata, terga dedit, atq; in urbem trepide se recepit. Ibi unius militis Andreae Baumkircheri uirtus, & fortitudo urbem tutata est. Hic enim ne uictores cum uictis in urbem uno agmine irrumperent, tam diu pro porta solus impetum tenuit, donec conuersi fugientes socij, globo facto, ex loco difficili hoste repulso, portam urbis clauderent. Hunc igitur merito Coclium Germanum dixeris. Quem etiam Fridericus Imperator postea ob uirtutis nomen, & res fortiter gestas, Baronem fecit, & creauit. Tanta uis fortunæ est, ut fortium uirum quietum nunq̄ patiatur, sed indies magis, ac magis eundem exercet, ut æternis laudibus atq; immortalitate decoret. Sicuti huic Andreae, militi triario contigisse certò liquet.

## Caput CII.

## DE IORDANO FABRO.

**N**ecessarium malum uxores esse, omnes mariti experimur: quo si carere possemus, foelicissimi si quidem essemus. Verum cum natura ( ut Gellij uerbis utamur ) ita tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo uiui possit, salutis perpetuæ potius, q̄ breui uoluptati consulendum. Et alibi, uicium ( inquit ) uxoris aut tollendum, aut ferendū est. Quod

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

cum ita sit, qui tollere non potest, ferat necessum est. Foelicissima profecto res coniugium concors, & amabile. Vbi uero discordia, rixæ, & furia regnant, ibi nulla quies, nulla spes, nulla prorsus salus. Omnia in peius ruunt, & pereunt. Felix qui cito intelligit, & cauere celebs in tempore discit. Fuit apud Sarmatas Moscouiæ faber quidam natione Germanus, nomine Iordanus. Homo diligens, & suæ artis professor inter Barbaros industrius, unde facile laudem atq; fauorem popularium acquisiuit. Qui cum in urbe Moscouia opificium suum exerceret, Ruthenam quandam uxorem duxit. Inter hos coniuges ab initio admodum bene conueniebat, mutuo diligebant, & uterq; utriq; bene uolebat semper, nihil discordiarum, aut rixarum unq; fuit. Mulier ut uidebat maritum uirum bonum, tranquillum, & pacis amatorem, ipsa ocij impaciens, animum mariti penitus explorare cupiens, illum amicè occasione data, sic alloquitur. Cur me (inquit) coniunx charissime non amas? Respondet Faber. Ego uero te, o coniunx, etiam atq; etiam uehementer amo. Nondum refert ipsa, signa amoris uideo, aut habeo. Quarebat igitur maritus, qualia signa uellet, aut quæ nam placerent. Cui uxor, nunq; ait, me uerberasti. Mihi sane uerbera, respondet maritus, non uidentur signa amoris, sed potius discordiarum, similitatis, atq; odij. Sed tamen, quoniam ita uis, ne hac parte tibi deero. Deinde orta inter coniuges contentione, maritus uxorem crudelissime uerberauit. Quo facto fassus est Iordanus publice, longe maiore amore



amore se à sua uxore posthac obse: uatum fuisse. Cum autem sæpius eam uerberaret, amor in odium uersus, mulier innata malicia estuans, ad furorem quodammodo maritum adegit, adeo ut ira supra modum percitus faber, uxori ceruicem tandem, & crura præcederet, mors tuamq; fuga sibi consulens, relinqueret.

## Caput CIII.

DE MORE IVRANDI APVD  
ueteres Germanos.

**V**Eteres Germani, præsertim Scythæ, & Dani, de more gentis eductis mucronibus, (quos pro nomine colebant) frameisq; interpositis iurauerunt. Scythæ aliquando per solium regis, aut per uentum, & Acinacem solenne iuramentum fecerunt. Compertum quoq; est per libertatem Germanorum ueteres iurasse. Hoc certum est Germanos fidei seruandæ, & iuramenti studiosissimos fuisse, qui semel fidem datam, non facile fallebant: tanti deniq; fidem faciebant, ut humanam societatem cum fide tolli crederent, nihilq; antiq;uius fide putarent, & quidem anteq; Christi aliquam scientiam habuerunt. In ueteri testamento legimus fidem Nabuchodonosoro frangentes, immortalem Maiestatem cæli per Hieremiam, & Ezechielem uates suos, coarguisse, seq; spretam, testatam. Qui enim iuramentum contemnit, foedus spernit, pactum soluit, fidem frangit, illum despicit, per quem iurauit: illi facit iniuriam

## ILLVSTRIVM GERMANIAE

iuriam, cuius nomini aduersarius credidit. Viuo (inquit) dominus, iuramentū quod spernit, foedus, quod præuaricatus est, ponam in caput eius. Nunquid, qui soluit pactum, effugiet? Non considerandum cui, sed per quem iuraueris. Præ cæteris autem ex omni memoria sanctissimum iusurandum apud Romanos uisum fuit, ut iurans terram tenens, cœlū Deosq; contestans, conceptis uerbis, & caput suum, ac stirpem, & familiam, bona, & fortunas deuoueret. Cuius iuramenti formulam placuit huic loco addere, cuiusmodi uix alibi legi, eius copiā mihi Illustrissimus Princeps Otto Hainricus, Palatinus Comes &c. Elector, felicissimæ recordationis, Neoburgi ad Danubiū anno. 1555. ostendit. Græce erat scriptum illud monumentum antiquitatis & scripturæ genere, & materia. Quod Ioannes Sischardus LL. doctor in Cenobio Laurissensi repertum, prænominato Illustris. Principi miserat. Porro Illustris. Princeps, uti fuit omnis antiquitatis, præcipuè eius, quæ literis cōtinetur, obseruantissimus, negocium Doctissimo uiro Iacobo Mycillo dedit, ut quæ ibi græce dicerentur, latino sermone explicaret. Erant plæræq; uetustate abolita, aut corrosa, à tineis atq; blattis penè corrupta, cætera cōfusa, & indiscriminatim posita. Verum literarum ductum & lineamenta sequutus Mycillus, eorum omnium, quæ scripta in membranis erant, sententiā latina oratione interpretatus est, ubi certe non solum scripturæ ueteris, sed integritatis solidæ uestigia quædam cernere licet. Sic autem sese habuit illa iurandi formula,



formula, quam Senatores, & Prouinciarum præfides  
iurare expresse soliti fuere. IVRO PER IOVEM  
OLIMPIVM, IOVEM CVRIALEM:  
VESTEM CVRIALEM, IOVEM CON-  
IVGALEM, IVNONEM CONIVGA-  
LEM. MINERVAM COGNOMEN-  
TO PROVIDENTIAM, VICTORI-  
AM, CONCORDIAM, IVS, FAS, BO-  
NAM FORTVNAM, CÆTEROSQVE  
DEOS, ET DEAS OMNES: QVOD  
VELIM CONSVLERE IVXTA LE-  
GESET DECRETA CIVITATIS PRO-  
PRIA ATQVE RECEPTA: ET SE-  
CVNDVM STATVTA ROMANO-  
RVM, LEGESQVE EAS, IVXTA  
QVAS REMPVBLICAM ADMINI-  
STRAMVS IN COMMVNEM VTI-  
LITATEM PATRIÆ, QVOD IPSE  
POTERO, ET VT QVILIBET ALIVS  
CONSVLERET, QVI PATRIÆ O-  
PTIME CONSVLTVM VELLE, RO-  
MANVS SIVE GRÆCVS, ET QVOD  
NEQVE IN GRACIAM, NEQVE IN  
ODIVM CVIVSQVAM, NEQVE E-  
TIAM ACCEPTIS DONIS IVDICA-  
BO, AVT SENTENTIAM FERAM,  
NEQVE HOMINIS CAVSSA CON-  
SILIVM DABO, NEQVE PATRI, AVT

ILLVSTRIVM GERMANIAE  
PERSONÆ PRIVATIM FAVEBO.  
SED CONMVNI VTILITATI PA-  
TRIAE STVDEBO, AVGENS, ET PRO-  
MOVENS HANC SEMPER QVOAD  
POTERO, ET VT DIIS PARITER, ET  
BONIS VIRIS PROBABITVR. AT-  
QVE HÆC IVRANTI MIHI BENE  
SIT, DEOSQVE, AC DEMONES HA-  
BEAM PROPITIOS, ET MIHI, ET A-  
MICIS, ET GENERI, ET TOTI DO-  
MVI, PEIERANS AVTEM NON IN-  
VENIAR.

Caput CIIII.

DE ARTE IMPRESSORIA.

**I**Mpressoriae artis diuinum inuentum apud Germanos  
nos primum Ioannes Faustus, ciuis Moguntinus in-  
uenit, eiq; cœlitus reuelatum facile crediderim, biennio  
cōpleuit, & libros imprimere coepit anno Christi 1450.  
Sunt qui Ioannem Gſtenbergium equeſtri dignitate  
uirum authorem huius artis referant. Deinde qm̄ in-  
uentis facile est aliquid nitoris addere, secuti sunt plures  
uiri ingenio, industria, & diligentia celebres, scilicet Io-  
annes Mentel, Ioannes Prus, Adolphus Ruschius, Iuo-  
schöfer, Martinus Flachus, Vdalticus Han cognos-  
mento &c. Hic qđ ab alijs latine Gallus dicebatur, des-  
cepti Franci occidentales, sibi & suis popularibus hoc  
inuentum



inuentum affcripserunt. Nunc uno die ab uno homine tantum literarum imprimitur, quantum uix anno toto à pluribus scribitur. Vnde Campanus Aprutinus Pontifex eleganter scripsit in laudem huius artis.

Imprimit ille die, quantum non scribitur anno.

Scripsit & Beroaldus in laudem Germanorum de hoc inuento inter cætera hæc.

O Germania muneris repertrix,

Quo nil utilius dedit uetustas,

Libros scribere quæ doces premendo.

Deinde anno domini 1458. Conradus quidam dictus, itidem Germanus, hanc artem Romam primo attulit, quam deinde Nicolaus Ienson Gallicus primus maxime illustrauit. In Italia Aldus. Sixtus Rufinger Argentinus Neapoli anno 1471. libros, quomodo imprimi possint, monstrauit. Quod artificium præterea passim hoc tempore per totum ferè orbem floret. Non est prætereundus summus meus amicus scelicis memoriæ Alexander Vuciffenhorn, qui ex Augusta, uocatus ab Illustriss. scelicissimæ memoriæ Vuilhelmo duce Boiorum &c, huc ad nos Ingolstadium commigrauit, omni genere characterum instructissimam secum aduexit suppellectilem, plurima & egregia opera bonorū Authorum publicauit. Cuius filij Alerander & Samuel heredes pari industria Patrem sequuti, non uulgarem cum magna laude Academiæ nostræ, in imprimendis libris, operam nauant,

A 1296909

00N 59222274

1907 FEBRUARY 15

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*